(I)

DE CICERONIS PARTITIONIBUS ORATORIIS COMMENTATIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE V. M. IULII A. MDCCCLXXXX.
PUBLICE DEFENDET

Frank Ivan
AUCTOR
FRANCISCUS IOANNES MERCHANT
AMERICANUS.

ADVERSARII ERUNT:

R. HAEUSLER, DR. PHIL.
O. BRÜCKNER, CAND. PHIL.
O. FROEHDE, CAND. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE (OTTO FRANCKE).
Linienstr. 158.
1890

AEMILIO HÜBNERO

SACRUM

AEMILIO HÜBNERO

SACRUM

Cicero cum saepius praecepta dicendi litteris mandaverit neque in hoc genere iisdem semper steterit iudiciis, iniquum est de universis eius scriptis rhetoricis existimare velle, nisi utrumque et quae senserit novissima et quibus ad eas sententias pervenerit viis appareat. Quorum tamen neutrum putamus totum esse patefactum et inlustratum. Erit autem fortasse ad haec incommoda deminuenda haud inutile nonnulla de Partitionibus Oratoriis Tullianis disputare. Nam primum neque anno post Romam conditam quarto et septingentesimo, ut Handio videbatur[1]), libellum scriptum esse arbitramur neque quatuor post annis, Caesare tertium et Lepido consulibus, ut Corradus, Reuschius, Drumannus, Pideritius, Sauppius censuerunt[2]), neque, ut quidam, quod satis probabile sit quin indagari queat dubitamus[3]); deinde non ea qua decet cura ab interpretibus videmus explicari quid potissimum ad artem rhetoricam elaborandam scriptor adferre studuerit; quid vero Partitionibus voluerit

---

[1]) Cf. Encyclop. Erschii et Gruberi, vol. XVII., p. 211 (b).

[2]) Cf. Sebastiani Corradi Quaesturam, ed. Bonn. a. 1555 (ed. et. a Io. Aug. Ernesti, Lips. a. 1754; v. hanc ed. p. 265 sqq.);

Erhardi Reuschii disquisitionem de M. T. C. Part. Or., ed. Helmstadii a. 1723;

Drumann, Geschichte Roms, vol. VI. p. 293;

Ciceros Partitiones Oratoriae, erkl. von K. W. Piderit, Leipzig, 1867, prolegg. p. 7 sqq.;

H. Sauppe, Göttinger gel. Anz., 1867, p. 1863 sqq.

[3]) Cf. M. T. Ciceronis scripta quae manserunt omnia, recog. a C. F. W. Muellero, Lips. 1884 sqq., part. I. vol. I. p. XIX.

adsequi praeterquam quod in ipsa arte versaretur, tempore scribendi incognito perspici penitus non potest; quaestionem denique quae est de proximis libelli fontibus homines docti breviter adhuc perstringendo paene integram reliquerunt. Hoc igitur agimus ut, si modo id contigerit, accuratius definiamus quando et cur et quibus sit adminiculis opusculum de quo quaeritur conscriptum. Et quamquam tria de quibus disceptetur proponimus, ea et colligata inter se et idonea sunt quae una tractentur; viamque ad triplicem quam significavimus causam diiudicandam ita munire conabimur ut, paucis de sermonis ratione expositis ne illa neglecta amplius errores pariat, plenam Partitionum cum iis quae in reliquis Ciceronis libris reperiuntur praeceptis oratoriis comparationem instituamus neque alia omittamus adiungere quaecumque sive e vita Ciceronis et patris et filii sive aliunde repetita utiliter spectari posse ducamus. Sed ad id quod suscepimus adgrediamur.

Facit igitur se in Partitionibus Cicero cum filio colloquentem, ita ut Marco tantummodo interroganti ipse cum auctoritate respondeat. Quem in sermonem quod nullo praemisso prooemio omnia quae hoc libro complexus est inclusit initioque ipsius dialogi aditum earum rerum de quibus praecepturus erat patefecit, rationem Platonicam secutus est, morem autem Aristotelium in eo quod principatum disputationis penes ipsum esse maluit (cf. ad Att. 13, 19, 4). Et tamen honorifico quodam modo secundas partes dedit filio, utpote qui rei non esset imperitus, itaque cuius potissimum causa libellum conscriberet significavit; quamquam inde colligere non licet voluisse eum Partitiones minus quam Topica quae ad Trebatium misit in multorum manus venire (cf. top. 19, 72). Iam quibus causis adductus Cicero Partitiones sic conformaverit pro certo dici non potest. At Catonem Censorium ad Marcum filium de arte dicendi scrip-

sisse scimus[4]), quae praecepta Ciceroni quin bene nota fuerint, non est quod dubitetur. Et ex eo quod ad nos pervenit fragmento libri Graeci, qui ratione quadam interrogandi et respondendi compositus et e fontibus Stoicis derivatus erat[5]), suspicari possumus Ciceronem iam sua aetate librum aliquem Graecum simili ratione conscriptum vidisse. Ipse praeterea in Bruto (60, 218 sqq.) librum Curionis commemorat, in quo scriptorem se cum filio et cum Pansa colloquentem fecisse omnemque illum sermonem e percontatione filii ductum esse ait. Erant autem tria haec exempla eiusmodi ut coniuncta aliquem ad eam dialogi rationem quam habent Partitiones instituendam impellere possent. Cum igitur nihil extra sermonem a patre cum filio habitum dicatur, nota dialogorum consuetudo non satis in hoc libello ab interpretibus perpensa breviter recognoscenda est; qua colloquentes saepe inducuntur qui tempore designato una non fuerunt iisque ut dicta tribuuntur quae numquam dixerunt et quae plane sunt ficta tamquam facta referuntur quaque non minus libere tempus ipsum sermonis deligitur, ut aut idem sit quod tempus scribendi aut ab eo remotum idque aut brevi intervallo, velut in Bruto, aut satis longo, velut in libris de oratore, aut tanto ut ad aetatem qua nondum scriptor natus sit redeatur, velut in Catone Maiore. Nec solum in sermone qui exponitur ipso hic mos dialogorum apparet sed interdum etiam in iis quae ab eo secreta prooemii loco ponuntur (cf. Acad. post.). Audaciae autem paulo minus tales habent licentiae cum is qui scribit omnino, nisi partibus in dialogo sumptis, ex sua persona non loquitur; qua tamen ratione nonnumquam vera cum fictis ita permiscentur et confun-

---

[4]) Cf. M. Catonis praeter librum de re rustica quae exstant, ed. ab H. Iordan. Lips. 1860, pp. CI et 80.

[5]) Cf. L. Spengel. Rhet. Gr. II. p. 1 sqq. et Mus. Rhen. a. 1863, p. 490.

duntur ut difficile sit ab his illa discernere et segregare minimeque liceat temere omnia quae sic dicuntur pro veris accipere.

Sed quae de universa sermonis ratione exposuimus quem ad modum ad eas libelli partes quae sunt extra artem interpretandas pertineant, deinceps videamus. Quibus in partibus inductum videmus filium Latine ex patre cupientem audire quae Graece ab eo de ratione dicendi acceperit, si quidem patri satis sit otii idque ei placeat. Is autem nihil se studiis Marci anteferre demonstrat summumque sibi esse otium quoniam aliquando Roma potuerit exire. Itaque petenti filio, ut mutatis partibus sibi a patre de iisdem rebus de quibus hic Graece soleat interrogare respondeatur, morem gerit libenter, cum sit illius hoc modo et voluntati satisfacturus et scientiam rei tentaturus. Sic igitur in sermonem de doctrina dicendi ingrediuntur (§§ 1, 2). Explicatisque omnibus oratoriis partitionibus Academiam Cicero, unde eas effloruisse fatetur, laudibus effert et quam ea sit oratori necessaria exponit. Ad quos fontes si Marcus ipso aliisve ducibus pervenerit, et melius eum Partitiones Oratorias, quas tantummodo indicia quaedam philosophiae Academicae haberi iubet, intellegere iisque multo maiora alia cognoscere posse ostendit. Quibus verbis excitatum filium tanto facit illorum studiorum desiderio flagrantem ut a patre munere significato nullum maius exspectet (§§ 139, 140). Voluit ergo Cicero tempus aliquod designari quo urbe modo relicta una cum filio rusticaretur isque etsi nondum se ad studium contulisset philosophiae, tamen de doctrina dicendi non pauca didicisset. Nec vero ex his elucet de verane quadam Cicero occasione an de ficta scribendo cogitaverit. Plus autem aliquanto quodque iis quae collegimus certius esset ad tempus scribendi definiendum persuasum docti habuerunt se in iis quae enarravimus sen-

sisse. Et, quasi nullis ad hanc rem confirmandam opus esset argumentis, posuerunt iis quae de otio deque Roma exeundi potestate studiisque Marci philosophicis nondum susceptis dicuntur veram esse occasionem notatam, quae eius qui scriberet animo obversaretur, et sic terminum posse constitui post quem necessario Partitiones conscriptae viderentur. Cum enim perspicuum sit libellum non ante id tempus scriptum esse quo Cicero pro consule in Ciliciam profectus est isque, postquam exeunte fere anno qui Caesare dictatore iterum fuit in urbem rediit, primum eam proximo anno rursus reliquerit, negarunt ante hunc annum ab eo dici potuisse quae in Partitionibus Oratoriis de potestate Roma exeundi leguntur. Postea autem eas non esse editas aliis, de quibus infra dicendum erit, argumentis satisfacile esse probare duxerunt. Vix autem qui rem excusserint totam ita ad annum ab urbe condita septingentesimum octavum verba de quibus agimus, dummodo iis vera depingi censeant, spectare iudicabunt. Si enim illud quod dicitur verum est, ideo Ciceroni otium fuisse quod aliquando Roma exeundi potestas data esset, inde efficitur ut ei otium non fuerit in urbe. At Romae eo tempore intermissa sua studia revocavit (cf. ad. fam. 9, 1, 2) ac medio mense Aprili ad Varronem scripsit uberiores se quam antea ex litteris capere fructus (ad fam. 9, 3, 2); pugnaque quae a. d. VIII. Id. April. ad Thapsum facta est (cf. Ov. Fast. 4, 377) nuntiata adhuc in urbe manebat (cf. ad fam. 9, 2), ut, cum paucis diebus post cladem Pompeianorum Cato mortem sibi consciverit, Cicero autem Brutum scripserit vivo ut videtur Catone (cf. Br. 31, 118), veri simile sit hunc librum Romae esse perfectum; ubi etiam postea eodem anno Ciceronem pristinis abiectis occupationibus in litteris versatum esse plures hoc tempore scriptae epistulae sunt testes (cf. ad fam. 9, 20, 3; 4, 4, 4; 9, 26; 12, 17). Quare ad id

tempus referre occasionem designatam iis non licebat qui eam veram putabant. Aliud autem tempus significari tantum abest ut defendamus ut ne de ulla quidem occasione vera cogitari iubeamus. Cadunt enim, ut arbitramur, quae de urbe relinquenda otioque rustico dicuntur in locum quendam communem identidem in dialogis Ciceronis inductum. Ita in primo de finibus libro Torquatus, qui una cum Triario ad Ciceronem in Tusculanum venerat, ab eo petit, quoniam nacti eum sint aliquando otiosum, ut quid in Epicuro non probet sibi liceat audire (de fin. 1, 5, 13 sqq.). Itemque Cicero in sermonem quem tertio libro complectitur se quondam incidisse significat negotiis liberatum ac rure versantem. Postero enim die quam ludis commissis ex urbe profectus in Tusculanum se contulisset in bibliotheca pueri Luculli, cuius in villam venisset ut inde commentarios quosdam Aristotelios depromeret quos legeret dum esset otiosus, se invenisse dicit M. Catonem multis Stoicorum libris circumfusum et summo in otio legentem atque inter eos colloquentes ortam esse eam quam Bruto enarrat de Stoicis controversiam (de fin. 3, §§ 7—10). Et in primo de legibus libro Arpini Ciceronem videmus commorantem unaque cum Attico et Quinto ad Lirem ambulantem et, quoniam vacui sint, sermonem in quem vocatur ab Attico suscipere paratum (cf. de leg. 1, §§ 1—14). Scripsit etiam alia Cicero eiusdem fere generis, ut in primo de re publica libro (9, 14) et in libris de natura deorum (1, 6, 15; 2, 1, 3) et in primo de divinatione (5, 8 sqq.) et in Bruto (3, 10) et in Laelio (4, 16 sqq.). Talia igitur quibus otium quod quis rure persequitur negotiis urbanis opponitur maximam partem ex more quodam dialogorum dicta videntur, ut iis tamquam testimoniis fidem tribuere non liceat. Nec minus moneamur consuetudine dialogorum oportet ne inconsulte nullo iacto fundamento ponamus designa-

tum sermonis tempus idem esse quod tempus scribendi ideoque Partitiones necessario prius conscriptas esse quam Marcus discendi causa Athenas profectus esset. Quod num ita fuerit etiam illud dubitationem movere debet quod in fine sermonis dicitur, Partitiones ipsas Marcum melius intellecturum cum ad fontes illos Academicos accesserit (40, 140), quin etiam eas sine illa Academia intellegi non posse (40, 139). Nam inde cognoscimus Ciceronem libellum accommodatiorem ad usum filii duxisse studiis philosophicis operam dantis quam nondum rationem horum studiorum ingressi. Si autem Marcus Athenis iam erat, nihilo minus, ut necessitati dialogi satisfieret, redeundum erat in sermone ad id tempus quo una cum patre fuerat in Italia. Sed, quo orationem perductam videmus, attendamus praeterea quale iis de quibus nunc agitur consilium indicetur. Sperabat igitur Cicero adiutrices Partitiones in studiis fore Marco; quem ait se doctissimum esse velle eiusque studia pluris habere vel maximis suis occupationibus. Possumus etiam sentire, repetita brevi intervallo Latinae, cui hoc tempore inserviebat, et Graecae institutionis contentione, id quoque patri fuisse curae, ne in Graecis litteris Marcus plus operae collocaret quam in Latinis. Quod autem quis fortasse ab utraque dialogi persona dici putaverit (1, 1 sqq.), has ipsas partitiones Ciceronem Graece Marco tradidisse antea, id nihil obstat quo minus licentiae sermonis acceptum referamus. Quamquam fieri potest ut Cicero Graece Marcum praecepta rhetorica docuerit. Nam puerum eum primus videtur Graece instituisse (cf. ad Att. 2, 9, 4; 2, 15, 3; Drumann. Hist. Rom. vol. VI. p. 711) et postea nonnumquam eius causa munus praeceptorium suscepisse (cf. ad Quint.fr. 2, 14, 2; ad Att. 8, 4, 1). Sed ad consilium scriptoris indagandum redeamus. Marcus igitur quod praeterea studiorum et rhetoricorum et philosophicorum tam cupidus indu-

citur, suspicio abesse non potest quin hoc modo magis significetur quo Cicero filium suum incitando impellere voluerit quam quo animum eius re vera inclinare et propendere viderit. Similique ratione ex iis quae nonnullis locis de moribus et officiis dicuntur, velut §§ 70, 83, ut multa perperam a Pideritio huc relata omittamus, intellegitur patre iudice etiam in hanc partem Marcum incitamenti cuiusdam indiguisse. Sed haec, quae adhuc paulo obscurius cernuntur, ut aliis congestis indiciis clarescant aut omnino obruantur, ad ea quae certiora sunt pergamus.

Praecepta vero Ciceronis rhetorica inter se conferentibus tria sunt nobis consideranda ad triplicem huius disputationis finem accommodata. Ad controversiam enim quae est de tempore tollendam nonnihil fortasse faciet statuere utrum Cicero progrediente aetate sententiam suam de doctrina dicendi emendare et corrigere studuerit necne et, si progressio aliqua in iudiciis eius deprehensa erit, quem ea spectata Partitionibus Oratoriis locum in librorum Tullianorum serie adsignare liceat. Neque enim ex hac parte multum refert eane de quibus agitur praecepta Cicero primus excogitaverit an aliunde adsumpta probaverit. Nam fieri etiam in deligendo et aestimando progressio potest. Deinde quo Partitiones Oratoriae scriptae sint consilio ut appareat, videndum est iisne in rebus quae et in hoc libello et in aliis Ciceronis scriptis tractantur Partitiones una aliqua ratione aut certis quibusdam rationibus a reliquis libris discrepent. Et quoniam fontes quoque Partitionum hac comparatione respicere volumus, definiatur oportet quatenus eae ex aliis Ciceronis scriptis potuerint emanare, ut ita etiam aditus ad quaestionem de novis quae sunt in Partitionibus pateat. Atque haec quidem de ratione comparandi.

Dividit autem Cicero in Partitionibus omnem di-

cendi doctrinam in partes tres easque vim oratoris, orationem, quaestionem appellat (1, 3); quas primas totius artis rhetoricae partes singularumque earum partitionem nominibus et numeris adiectis in uno conspectu ponimus:

Omnis doctrina dicendi.	I. Vis oratoris.	1. Inventio, 2, 5.
		2. Collocatio, 3, 9.
		3. Elocutio, 5, 16.
		4. Actio, 7,25.
		5. Memoria, 7,26.
	II. Oratio.	6. Principium, 8, 28.
		7. Narratio, 9, 31.
		8. Confirmatio, 9, 33.
		9. Peroratio, 15, 52.
	III. Quaestio.	10. Propositum, 18, 62.
		11. Causa 20, 69.

In reliquis libris Cicero nusquam tripertito rhetoricam distribuit. Adulescens enim plerosque scriptores secutus quinque huius disciplinae partes esse statuit, inventionem, collocationem, elocutionem, memoriam, actionem (de inv. 1, 7, 9). De quibus partibus unam omnino iis libris quae de inventione inscribuntur a se esse tractatam extremis secundi libri verbis plane significat. His autem inventionis praeceptis eas quoque partes complectitur quas in Partitionibus orationem et quaestionem nominat. Atque etiam in libris de oratore rationem dicendi in quinque tribuit partes; quod ex universa tractatione et ex iis quae passim de operis dispositione dicuntur apparet. Primis enim duabus rhetoricae partibus absolutis Antonius exposuisse se dicit quid de inventione et collocatione sentiret deque memoria esse adiuncturum (2, 85, 350). Sic quasi creatum oratorem Crasso et vestiendum et ornandum tradit (2, 28, 123). Is igitur in tertio libro praecipue de elocutione

et actione disputat. Et in Bruto eodem numero partium spectato Cicero difficillimam omnium hanc disciplinam esse ostendit, quia quinque sit artium maximarum concursus (Brut. 6, 25). Nec multum in Oratore ab hac partitione discedit. Reliquis enim quatuor rhetoricae partibus enumeratis unius memoriae praecepta, utpote quae sit multarum artium communis nec tamen a ratione dicendi aliena, praetermittit (or. 17, 54). Restat ut statuatur, quantum fieri poterit, quid eo tempore quo Topica scripsit de doctrina dicendi dispertienda censuerit. Cum igitur Trebatii voluntati obsecutus locos argumentandi exposuisset, alia quoque persecutus est ut totam (19, 72) inveniendi artem (2,6) inlustraret. Sunt ergo Topica libellus de inventione, in quo paulo fusius disseritur de argumentandi locis. Eadem autem in hoc libello notio quae in lib. de or. inventionis nomini subicitur. Praecipitur enim de quaestionibus infinitis et generibus causarum et partibus orationis. Inventionis autem fines hoc modo constitui qui vellet, ei tripertitam universae doctrinae rhetoricae distributionem, qualis est in Partitionibus, obversari non potuisse perspicuum est. Cum igitur Topica Cicero conscriberet, potius eam rhetoricae partitionem quae in lib. de inv. et in lib. de or. et in Bruto et in Oratore quam quae in Partitionibus est probabat. Haec autem illa multo accuratior necesse est existimetur. Non enim in quinquepertita et usitata distributione, quem ad modum fieri oportet, inventionis notio utraque ex parte iisdem terminis circumscribitur, sed latius ea inventio patet quae pars est rhetoricae quam quae cum aliis rebus quatuor vim ac facultatem oratoris efficere dicitur (cf. de or. 1, 31, 142). Nam aliena ab ipsa inveniendi ratione sunt quae in hac parte universe praecipiuntur de natura et distributione et tractatione quaestionum et causarum. Idemque fere de partibus orationis dici potest, quae non rectius in praeceptis

inventionis quam in dispositionis aut elocutionis tractantur. Ad finem enim singularum orationis partium non magis argumenta ex inveniendi locis deprompta quam genus dicendi et ordo sententiarum accommodentur oportet. Toto autem genere quaestionum et partibus orationis ab inventione secretis vitiisque quae significavimus evitatis Cicero in Partitionibus vim ipsam quam orator expromit et orationem quam parit et genera quaestionum in quibus versatur distinguit earumque rerum trium praecepta totidem partibus artis complectitur. Cuius egregiae partitionis mirum est cum olim Quintilianum, praecepta plurium de ratione dicendi partienda percensentem (3, 3, 7 sqq.), tum nostris temporibus Spengelium, praecipue de partibus rhetoricae disserentem[6]), et post eum Volkmannum, ipsius Ciceronis sententiam de huius doctrinae distributione referentem[7]), nullam mentionem fecisse. Huius tamen rei causa fortasse fuit quod nemo praeter Ciceronem neque Graecus neque Romanus tripertita illa partitione usus sit. Quamquam initia quaedam unde ea nasci poterat apud Cornificium inveniuntur. Is enim in primo ad Herennium libro ita de re proposita dicere incipit, ut officio oratoris definito tria breviter demonstret, primum quae genera causarum recipere debeat orator, deinde quas res in oratore ipso esse oporteat, postremo quot quaeque sint orationis partes (ad Her. 1, 2, 2 sqq.). Itemque in lib. de or., ubi Crassus (1, 31, 138 sqq.) et Antonius (2, 19, 78 sqq.) contrita et communia rhetorum praecepta percurrunt, uterque primum de quaestionibus et causis, deinde de quinque rebus quibus vis oratoris efficiatur, tum de partibus orationis loquitur. Sed nisi transpositis quaestionibus haec eadem

---

[6]) Cf. L. Spengel, Die Definition und Einteilung der Rhetorik bei den Alten. Mus. Rhen. a. 1863, p. 481 sqq.

[7]) Cf. R. Volkmann, Die Rhetorik der Griechen und Römer, 2. Aufl., Leipzig 1885, p. 30.

est atque in Part. Or. praeceptorum distributio. His autem locis omnino de tribus partibus artis rhetoricae non agitur; quam non solum Cicero in lib. de or., ut modo vidimus, et Cornificius, ut notum est (cf. 3, 8, 15; 3, 11, 19; 3, 16, 28; 4, 1, 1), in quinque partes tribuerunt, sed eandem rationem secuti sunt plerique (cf. de inv. 1, 7, 9; Quint. 3, 3, 1), ut in communium praeceptorum commemoratione, qualis fit duobus quae ex lib. de or. attulimus locis, ne vestigia quidem tripertitae quae in Part. Or. est partitionis, tamquam ante Ciceronem et Cornificium nota fuerit, agnoscere velle liceat. Veri igitur est simillimum Ciceroni de iusta rhetoricae partitione quaerenti eius collocationis qua ipse antea, etsi tum de partibus doctrinae rhetoricae non cogitabat, bis usus erat in mentem venisse et inde eum profectum novam partiendi rationem quam exposuimus instituisse. Sed de prima partitione satis dictum videtur.

I. De vi oratoris.

Quinque igitur res quas habere debet orator, inventionem, collocationem, elocutionem, actionem, memoriam, Cicero in lib. de or. (1, 31, 142) uni notioni subiciens vim oratoris nominat; quo nomine in Partitionibus non modo ipsam facultatem oratoriam appellat sed eam partem artis in qua de hac facultate praecipit. Nova etiam in Partitionibus eorum quae vim oratoris efficiunt distributio adfertur, qua rationibus quae inter ea intercedant accuratius explicatis ad inventionem refertur collocatio, actio copulatur cum elocutione, iisque quatuor quasi custos, ut a Cornificio quoque vocatur (ad Her. 3, 16, 28), datur memoria. Quas in partes deinceps praecepta ponuntur.

1. De inventione.

Cum autem in Partitionibus notio inventionis finibus angustioribus quam in reliquis Ciceronis scriptis rhetoricis terminetur, multa quae huc referri solent secernimus necessario et ab hac parte comparationis removemus. Talia sunt quae praecipiuntur de quaestionibus infinitis (de or. 2, 31, 133 sqq.; or. 14, 45 sqq.; top. 21, 80 sqq.; p. or. 18, 62 sqq.), de generibus causarum (de inv. 2, 51, 155 sqq.; de or. 2, 31, 133 sqq.; 2, 81, 333 sqq.; 2, 84, 341 sqq.; top. 24, 90; p. or. 20, 69 sqq.), de statibus (de inv. 1, 8, 10 sqq.; 2, 4, 14 sqq.; de or. 2, 24, 104 sqq.; or. 14, 45; top. 24, 92 sqq.; p. or. 29, 101 sqq.), de controversiis quae in scripto versantur (de inv. 2, 40, 116; de or. 2, 26, 110; top. 25, 96; p. or. 31, 107 sqq.), de partibus orationis (de inv. 1, 15, 20; de or. 2, 77, 315; top. 26, 97 sqq.; p. or. 8, 27 sqq.). Quae omnia in lib. de or. et in Topicis ad inventionem referuntur. Nam etsi in secundo de oratore libro prius de inventione et dispositione agitur quam de partibus orationis praecepta dantur, tamen haec nostro iure Ciceronem de inveniendo exordio loquentem ad inventionem, quem ad modum in lib. de inv., pertinere voluisse dicemus. Neque ex illis rebus ullae aut in lib. de inv. praetermittuntur, nisi quaestiones infinitae, quas eo tempore Cicero totas e disciplina oratoria eiciendas putabat (1, 6, 8), aut in Oratore, in quo libro tantummodo brevi praecepta inventionis comprehenduntur, nisi partes orationis et scripti controversiae. Sed his quae diximus exceptis et in praesentia dilatis reliqua iam perpendamus.

Inventa Cicero in Partitionibus aut ad fidem faciendam pertinere ait aut ad animos commovendos (2, 5). Alia autem in lib. de or. divisione usus totam orationem

derigendam significat ad triplicem rationem, ut doceantur animi audientium et concilientur et moveantur (2, 27, 115; 2, 28, 121; 2, 29, 128; 2, 43, 182; 2, 44, 185; 2, 77, 310). Nec dubium est quin ita quae Graeci *λογικὸν, ἠθικόν, παθητικὸν* vocabant designarit (cf. Arist. Rh. 1, 2, p. 1356a; or. 37, 128[8]). Eademque eius est sententia, verbis paululum mutatis, et in Bruto (49, 185; 80, 276) et in Oratore (21, 69) et in libello de opt. gen. or. (1, 3 sqq.; 5, 16), tria scilicet esse quae oratori efficienda sint dicendo, ut doceat sive probet, ut delectet, ut permoveat sive flectat. In his autem postea scriptis libris cogitate, ut opinamur, pro conciliandi verbo aliud reposuit quod propius ad illud *ἠθικὸν* accederet, quamquam huic verbo Graeco, cui nullum par erat verbum Latinum, et conciliandi et delectandi vim subiectam esse intellegebat (cf. or. 37, 128). Verum non solum id quod Graece *ἠθικὸν* dicitur difficile est Latine uno aliquo verbo exprimere, sed propiore quadam cognatione delectandi et commovendi genera inter se quam alterutrum cum docendi ratione colligata sunt. Similioribus igitur duobus in unum confusis generibus et pro triplici bipertita in Partitionibus divisione habita, Cicero cum difficultatem quam dixi evitavit tum rectius subtiliusque rem distribuit. Idque eum non casu quodam sed dedita opera fecisse eadem pluribus locis spectata partitio declarat (cf. 1, 4; 2, 5; 3, 9; 8, 27). Illud vero ne quis dicere velit, delectationem in Partitionibus praetermitti neque ut statuimus ad motum animi referri, incitatio ad voluptatem, hoc est delectatio (cf. Tusc. 4, 9, 20), paulo post in motus generibus numeratur (3, 9).

Iam ad fidem faciendam argumenta ex locis sumi

---

[8]) Cf. Hugo Jentsch, de Aristotele Ciceronis in rhetorica auctore part. II., ed. Guben. a. 1875, p. 23.

dicuntur aut in re ipsa insitis aut adsumptis (2, 5). Quae partitio etiam in lib. de inv. (2, 14, 46) et in lib. de or. (2, 27, 116; 2, 40, 173) et in Oratore (35, 122) et in Topicis (2, 8; 19, 73) invenitur; quamquam loci adsumpti in certa genera non diriguntur nisi in Partitionibus et in Topicis. In illis quaeritur maxime unde petantur testimonia, utrum divina sint an humana; in his potius auctoritas testimoniorum respicitur, quae aut tempore adferatur aut virtute (19, 73). Quorum autem Cicero auctoritatem in virtute ponit, ea rursus ita partitur ut ad eadem duo genera atque in Partitionibus perveniat (20, 76 sqq.). Eademque fere in utroque libello testimonia divina videmus enumerata. Humana vero testimonia tantummodo in Partitionibus, ubi apte in hoc genere auctoritas et voluntas et oratio spectatur, in partes distributa sunt. Nec dubitandum quin prima distributio locorum adsumptorum multo in Partitionibus accuratior sit quam in Topicis. Potest enim idem saepe testimonium et temporis auctoritate et virtutis probari, ut quae duo genera videntur in unum coalescant. Contra altera partitione segregantur quae suapte natura distincta sunt ac separata. Nec recte divina testimonia ad virtutem referuntur (top. 20, 76): de virtute et tempore quaerendum est in auctoritate expendenda testimoniorum humanorum.

Sed iam de iis locis videamus qui in re ipsa inhaerent; quorum in Partitionibus duo licet genera distinguere, alterum generale quoddam ad omnem argumentorum inventionem idoneum, alterum unius alicuius rationis, ut amplificationis (17, 57), ut certarum causarum (31, 109), proprium. De prioris generis locis si agitur, eos Cicero inveniendi locos appellare solet (23, 82; 31, 109; 36, 127). Reliqui, quos uno nomine non complectitur, partim nihil sunt nisi sedes argumentorum, ut persona, tempus, locus, et quae sunt similia, partim ar-

gumenta ipsa paucis verbis significata, quae in multas causas transferri possunt et passim loci communes vocantur (33, 115; 36, 127). Sed diversi sunt ab alio quodam genere locorum communium de quo dicendum erit cum de praeceptis amplificationis disputabitur. Tot igitur et talia in Partitionibus locorum insitorum genera. Ex his autem tantummodo inveniendi loci qui dicuntur in praeceptis inventionis tractantur; qui, quamquam omnino in lib. de inv. desiderantur, et in lib. de or. exponuntur et in Topicis. Neque in his libris usquam inveniendi loci appellantur, quo nomine in Partitionibus et a reliquis locis insitis et a locis adsumptis secernuntur aptissime. Iidem praeterea loci singuli qui in lib. de or., variatis paucorum nominibus, eodemque ordine, nisi consequentibus in aliam sedem translatis, in Topicis explicantur. A qua locorum expositione ita in Partitionibus disceditur, ut notatio et consequentia omittantur, dissentanea adiungantur ordoque locorum valde mutetur. Sed notatio in definitionem cadit et consequentia (top. 12, 53) eadem fere sunt quae effecta (top. 18, 67). Dissentanea autem non minus huc pertinent quam consentanea. Consultoque Cicero in collocatione locorum aliquid novavit, eum ordinem sequens quo tractandos inveniendi locos in quaestionibus infinitis putabat (3, 9). Concinunt igitur universa locorum insitorum ratione libri de or. et Topica, quibus Partitiones exquisitiores in hac parte et accuratiores existimari necesse est.

2. De collocatione.

Sequitur collocatio, cuius in Partitionibus praecepta et ad quaestiones infinitas et ad tria causarum genera accommodantur dissimilesque in genere iudiciali rationes accusatoris et rei exponuntur (3, 9). In lib. de or. (2, 76, 307 sqq.) genus unum respicitur iudiciale. Duo autem constituuntur dispositionis modi, quorum alterum ipsa

causarum natura, alterum iudicium oratoris praescribat. In illius generis praeceptis de partibus orationis disponendis, in huius de argumentis expendendis (§ 308 sqq.) ac levioribus in medio collocandis (§ 313 sqq.) deque animis permovendis (§ 310 sqq.) disseritur. Similisque est de his rebus sententia perbreviter elata in Oratore (15,50). Sed quatuor partes orationis quo ordine se excipere oporteat supervacaneum est in praeceptis collocationis edocere, ut illa distinctione naturae et iudicii in Partitionibus sine ullo damno supersedeatur. Et, quod fit in eodem libello, paulo aptius in inveniendi praeceptione videtur de argumentis expendendis verba facere quam in collocandi, ut in lib. de or. In utroque opere de motu animorum similia ponuntur. At in Partitionibus omnia collocandi praecepta aliter atque in lib. de or. distributa nec pauca nova sunt. Haec, quae in superiorum libris quos habemus non suppeditantur, quin a Cicerone ipso parta inventaque sint non dubitamus. Cum enim ea partitio quae est in lib. de or. politae dividendi rationi non satis faceret, nova erat totius rei distributio excogitanda, qua quodque genus quaestionis respiceretur. Nam eo tempore, quo scripsit Partitiones, Cicero, ut postea erit demonstrandum, quaestiones infinitas et omnia genera causarum aequo iure locum in ratione dicendi obtinere existimabat. Nova autem partitio qualem diximus nova quaedam praecepta praeter ipsam divisionem necessario attulit.

3. De elocutione.

Verum ad elocutionem progredimur, quae in Partitionibus in duas partes primas diducitur, ita ut duplex sit eloquendi genus aut sua sponte fusum aut versum atque mutatum (5, 16). Quod discrimen alibi a Cicerone non servatur. Totam enim rem Crassus in lib. de or. (3, 10, 37 sqq.) quatuor partibus absolvit, quae prae-

ceptis Latine, plane, ornate, apte dicendi continentur. Et eaedem partes in Oratore agnoscuntur (24, 79), quamquam praecipue de extremis duabus propositum erat illo loco disserere. Quamvis autem haec ratio elocutionis alioquin probanda esset, at in dividendi genere placere non poterat. Universa enim praecepta verborum simplicium et coniunctorum, quae ut materia orationis ad omnia genera dicendi pertinent, iniuria aut in tractationem ornati generis, quo referuntur in lib. de or. (3, 37, 149) et in Oratore (24, 80), aut in aliam ex reliquis tribus partibus ullam concluduntur. Non erat igitur quadripertita illa elocutionis distributio in Partitionibus retinenda. Neque notio orationis sua sponte fusae ab eius mente aliena erat qui de iis quae sua sponte homines eloquentes facerent (de or. 1, 32, 146) et de verbis quae compositione ipsa et quasi sua sponte finirentur (or. 49, 164) locutus esset. Duobus igitur in hanc sententiam constitutis dicendi generibus, statim et ita ut utrumque genus spectari videatur duplex commemoratur orationis vis in verbis simplicibus et coniunctis posita. Deinde ad priorem elocutionis partem acceditur et primum praecepta quae huc pertinent simplicium et coniunctorum ponuntur. Simplicium duabus factis distinctionibus, et de origine derivationeque verborum quaeritur, nativa sint an reperta (§ 16), et de virtutibus orationis, ita ut ex natura verba considerentur et ex tractatione (§ 17). In lib. de or. (3, 37, 149 sqq.) tria sunt genera simplicium, unum genus eorum quae propria rerum sunt et paene una cum iis nata (§§ 149, 150), alterum eorum quae transferuntur (§§ 149, 155 sqq.), tertium eorum quae ab eo qui dicit ipso novantur (§§ 149, 154). Nativa sunt igitur ea verba quae, ratione derivationis habita, cum rebus ipsis nata esse dicuntur, quae eadem propria appellantur. Sed propriorum nomen etiam ad usum verborum spectat. Propria enim opponi solent tralatis. Distinguuntur ergo

probe in Partitionibus haec nomina nativorum et propriorum ut illud ad originem verborum, hoc ad tractationem (§ 17) pertineat. Et idem dividendi vitium quod modo deprendimus penitus in tota triplici simplicium partitione versatur. Ut enim in primo genere et usus et origo verborum, ita in altero genere usus, in tertio rursus origo spectatur. Sequuntur in Partitionibus reperta sive facta et novata (§ 16), quae tertium sunt genus in lib. de or. Haec autem in Partitionibus, notione huius generis paulo latius patente, omnia complectuntur simplicia quae non sunt nativa, non tantummodo facta ab ipso oratore et nova (cf. de or. 3, 38, 154; or. 24, 80). Quod ut ita institueretur, natura rei postulabat, non solum ut absolutio esset in partitione, nullis relictis simplicibus, sed etiam eo quod quae semel ex nativis facta sunt, ea reperta et novata manent etiam tum cum iam nova existimari non possunt. Et repertorum aliquanto politior in Partitionibus est distributio. Ieiuno enim discrimine verborum ex coniunctione et sine coniunctione factorum (de or. 3, 38, 154) omisso discernuntur quae similitudine, imitatione, inflexione, adiunctione novantur. De nativis et repertis hactenus. Alteram quam significavimus distinctionem respiciens Cicero primum in duo inter se opposita genera ea verba digerit quae natura sonantiora, grandiora, leviora, nitidiora sunt et quae his contraria (§ 17). Minus autem apte in lib. de or. (3, 37, 150) et in Oratore (24, 80) mentionem optime sonantium tantummodo in propriis facit, ut si in illis solis possint inveniri. Deinde tractatione quinque exsistere genera simplicium demonstrat (§ 17), propria, addita ad nomen, nova (cf. de or. 3, 38, 154; or. 24, 80), prisca (cf. de or. 3, 38, 153; or. 24, 80), modificata et inflexa; quae omnia praeter ipsum nomen generis extremi et ea quae addita ad nomen appellantur, et in lib. de or. et in Oratore exponuntur. In quibus libris partes quas

modificatorum genus amplectitur (§ 17), translata (cf. de or. 3, 38, 155 sqq.; or. 24, 80), immutata (cf. de or. 3, 42, 167 sqq.; or. 27, 93), ea quibus abutimur (cf. de or. 3, 43, 169; or. 27, 94), obscurata (cf. de or. 3, 42, 167), incredibiliter sublata (cf. de or. 3, 53, 203; or. 40, 139), si ea quae incredibiliter tolluntur, quae sunt ex figuris sententiarum arcessita, excipimus, in unum genus conflatae sunt, sed ita ut primae parti subsit altera, tertia, quarta (cf. de or. 3, §§ 155, 169, 170; or. 27, 94). Sic tralationes Cicero universas eas verborum immutationes esse voluit quos Graeci *τρόπους* vocabant. Non autem hoc genus totum in Partitionibus sed eae mutationes solae quae Graece dicuntur *μεταφοραὶ* tralationis nomine significantur. Tralata enim ex aequo cum immutatis aliisque troporum generibus copulantur. Et iam hoc genus modificatorum cur ita sit in Partitionibus constitutum videmur aperuisse, ut omnibus videlicet quae quavis ratione transferuntur commune nomen imponeretur neve, id quod in superioribus libris confusione quadam non caret, iis tralationibus quae *μεταφοραὶ* vocantur reliqua mutandi genera subicerentur. Sunt igitur praecepta simplicium pervestigata nec sane multa habemus quae de coniunctis addamus, in quibus duo Cicero in Partitionibus praecipit ut serventur, numeri quidam et consecutio verborum (§ 18). Illi maxime sensu (cf. or. 49, 162; 55, 183 cet.), haec ratione iudicatur. Atque in Partitionibus numerorum nomine a meliore parte omnis dici materia videtur quae in lib. de or. in collocationem verborum et modum formamque orationis (3, 43, 171 sqq.), in Oratore in compositionem verborum, concinnitatem, numeros tribuitur (44, 149; 60, 202). Neque enim ex his partibus Ciceronem in Partitionibus ullam praetermittere voluisse ex eo colligitur quod eas omnes paulo post in suavi genere dicendi exponendo (§ 21) accuratius persequitur. De consecutione quidem, quam ante in

praeceptis Latine dicendi tetigerat (de or. 3, 11, 40), recte in coniunctis explicandis loquitur.

Accedunt quinque quasi lumina simplicium coniunctorumque communia, dilucidum, breve, probabile, inlustre, suave (6, 19). Lumina autem appellantur in lib. de or. et in Oratore non communiter virtutes dicendi sed proprie verborum et sententiarum figurae (de or. 3, 52, 201 sqq.; 3, 54, 206; or. 39, 135 sqq.); neque ipsae virtutes orationis, quae ibi in Latine, plane, ornate, apte dicendo ponuntur, eodem modo atque in Partitionibus discriptae ac distributae sunt. Sed singula perscrutemur. De dilucido igitur genere eadem fere quae in lib. de or. (3, 13, 49) praecipiuntur, ut de verbis usitatis et propriis, de longitudine et ambiguitate orationis, de tralationibus. Nonnulla autem in Partitionibus adduntur, ut de verbis dispositis, de intermissione, concisione, contractione orationis. Brevitas quomodo adsequenda sit apertius declaratur in Partitionibus quam in reliquis libris, cum tribus rebus confici dicatur, verbis simplicibus utendis, semel una quaque re dicenda, perspicuitati serviendo. Antea hanc virtutem Cicero inter figuras sententiarum nominaverat, sed, ut fieri solebat, praecipue in praeceptis narrationis tractaverat (2, 80, 326). Probabile quoque orationis genus in narrationis praeceptis tetigerat. Probabiliter enim narrare (or. 35, 122) iusserat similiaque in aliis libris scripserat de nimis compta oratione (or. 23, 78), de ponderibus verborum (de or. 2, 17, 73), de gravitate sententiarum (ibid.), de oratione ad mores hominum accommodanda (de or. 2, 82, 337), et hoc quidem extremum ubi universe agebat de probabiliter dicendo. Nec tamen haec singula in reliquis libris ita sunt comparata ut ad unum probabile dicendi genus referantur. Inlustris quae dicitur oratio, quae rem paene ante oculos constituit, qua fit ut videre videamur, nihil est aliud nisi quod Graece ἐνάργεια (cf.

Dion. Hal. V. p. 465, 5. Reisk.; Quint. 6, 2, 32), Latine evidentia (cf. Acad. 2, 6, 17; Quint. 6, 2, 32; 8, 3, 61) nominatur; cui confinis est figura quae *διατύπωσις* sive *ὑποτύπωσις* (Quint. 9, 2, 40) et demonstratio (ad Her. 4, 55, 68) et sub oculis subiectio (de or. 3, 53, 202; Quint. 9, 2, 40) appellatur. Nomen quidem evidentiae ipse Cicero novavisse videtur idque in philosophia (cf. Acad. 2, 6, 17). Postea autem eum narrationes evidentes appellantem (top. 26, 97) eam virtutem quae in arte rhetorica *ἐνάργεια* vocatur significare voluisse perspicuum est. Ponit igitur in Topicis, ut alii quoque fecerant (cf. Quint. 4, 2, 63), evidentiam in numero virtutum quae magis propriae sint narrationis; eandemque virtutem Dionysius saepius una cum brevitate commemorat (5, 425, 4; 5, 589, 11; 6, 775, 10; 6, 776, 1. Reisk.). Atque etiam de gravitate verborum (de or. 2, 23, 98; 3, 8, 31), de tralatis (de or. 3, 38, 155 sqq.), de superlatis (de or. 3, 53, 203; or. 40, 139), de duplicatis (de or. 3, 54, 206; or. 39, 135) in aliis libris verba fecerat neque tamen haec praecepta coniunxerat, ut quomodo genus quoddam inlustre effici posset ostenderet. Denique singula omnia quae dicuntur de suavi genere (6, 21) aut persimilia etiam in aliis libris Ciceronis leguntur, ut de elegantia verborum (de or. 2, 23, 98; Brut. 75, 261; or. 36, 125), de verbis sonantibus (de or. 3, 37, 150; or. 24, 80), de collocatione verborum (de or. 3, 43, 171; or. 44, 150), de circuitus longitudine (de or. 3, 47, 182; 3, 13, 49), de aequalitate verborum (de or. 3, 52, 199), de contrariis (de or. 3, 54, 207; or. §§ 135, 164, 175), paribus (de or. 3, 54, 206; or. 52, 175), ad idem verbum relatis (de or. 3, 54, 206; or. 39, 135), de geminatis, duplicatis, iteratis (ibid.), de coniunctionibus et dissolutionibus (de or. 3, 54, 207; or. 39, 135), de invisis, inauditis, novis (de or. 2, 85, 347), de motu animi (de or. 2 §§ 115, 185 cet.), de moribus oratoris expri-

mendis (de or. 2, 43, 182, 184), de obscuritate fugienda (de or. 3, 42, 167), de probabilitate minuenda (or. 22, 72 sqq.), de iudicio exercendo (de or. 3, 55, 212 cet.). Et nomen ipsum suavitatis quaeque idem declarant posuit Cicero saepe maximeque ubi de genere ornato agebat (cf. de or. 3, 26, 103; 3, 46, 181; Brut. 48, 177; or. §§ 69, 79, 149, 150, 182). Certum autem genus dicendi quod suave nominaretur nisi in Partitionibus non adumbravit. Sed de quinque luminibus quae enarravimus brevi complectamur. Aliis igitur in libris Cicero singula fere omnia persecutus est, planum sive dilucidum genus dicendi exposuit, de oratione brevi et probabili in praeceptis narrationis disputavit; evidentiamque, certe cum Topica scripsit et ut veri simile est ante id tempus, virtutem narrationis a quibusdam habitam esse noverat. Desideratur autem in reliquis libris ea praeceptorum conformatio et distributio quae est in Partitionibus Oratoriis. Ad quam tamen qua via Cicero pervenire potuerit, non admodum est difficile indagare. In libro enim *περὶ λέξεως* disseruerat de quatuor generibus dicendi Theophrastus exposueratque quid dilucidum (*σαφές*) esset, quid magnificum (*μεγαλοπρεπές*), quid suave (*ἡδύ*), quid probabile (*πιθανόν*)[9]). Quam distributionem credibile est notam fuisse Ciceroni qui eiusdem Theophrasti de variis elocutionis partibus sententiam memorat (or. §§ 79, 194, 218, 228; de or. 3, 48, 184 cet.). Quod si recte statuitur, illud possumus coniectura consequi, Ciceronem dilucido generi, quod semper in virtutibus elocutionis numerabatur, ratione quam secutus est Theophrastus motum adiunxisse genus probabile et suave, his tribus brevitatem et evidentiam ex narrationis praeceptis petita, quippe quae in hac parte sola non versarentur. Sed de toto iam genere sua sponte fuso diximus.

[9]) Cf. Maximiliani Schmidtii commentationem de Theophrasto rhetore, ed. Halis a. 1839, p. 37.

Huic ex altera parte respondet genus versum atque mutatum (7, 23), ut, si illud genus a Cicerone ipso constitutum esse iure statuimus, idem de hoc iudicare possimus. Ac rursus, ut in priore genere, primum simplicia, deinde coniuncta respiciuntur; initiaque fortasse eorum, quae de oratione dilata et contracta dicuntur, in iis sunt quae antea Cicero de commoratione una in re (de or. 3, 53, 202) et huic contraria percursione (ibid.) et distincte concisa brevitate (ibid.) exposuerat, et eorum, quae de ordine invertendo rebusque sursum versum retroque dicendis praecipiuntur, in iis quae leguntur in lib. de or. et in Oratore de gradatione et conversione (de or. 3, 54, 207) et de gradatim sursum versum redeundo (or. 39, 135). Verum non est quod in hoc genere commoremur.

4, 5. De actione et memoria.

Restat ut pauca de praeceptis actionis et memoriae dicamus. Actionis eadem est partitio in Partitionibus (7, 25) quae in lib. de or. (3, 57, 216) et in Oratore (17, 55; 18, 59), ubi eodem ordine praecepta vocis, gestus, voltus ponuntur. Neque memoriae praecepta in Partitionibus aliter atque in lib. de or. (2, 86, 350) distribuuntur sed referuntur omnia ad locos et imagines. Si singula quoque conferimus, easdem fere elatas sententias verbaque, quae in Partitionibus, reperimus etiam in lib. de or. aut in Oratore, ut de varietate vocis (or. 18, 59), de actione orationem sequente (de or. 3, 59, 220), de cerae similitudine (de or. 2, 88, 360).

II. De oratione.

Prima exposita totius artis rhetoricae parte Cicero ad orationem tractandam adgreditur (8, 27) eamque in quatuor partes dividit, principium, narrationem, confir-

mationem, perorationem; quas partes iterum ita distribuit ut duas ad motum animi incitandum, duas ad fidem faciendam pertinere dicat (1, 4; 8, 27). Adulescens autem sex esse orationis partes statuerat, his quas nominavimus adiuncta et partitione et reprehensione (de inv. 1, 14, 19). A quo iudicio paululum discessit in lib. de or. Nam etsi consueta huius rei praecepta referens sex partes in primo libro Antonius septemque in altero Crassus enumerat (1, 31, 143; 2, 19, 79), ipse Antonius in suis praeceptis tradendis quinque omnino partes exponit. Digressionem enim quae dicitur praetermittit et confirmationem reprehensionemque ita coniuncta esse demonstrat ut unam quandam in causis rationem efficere videantur (de or. 2, 77, 315—332). Abest praeterea orationis partibus in Oratore et in Topicis, quem ad modum in Partitionibus, partitio (or. 35, 122; top. 26, 97). Id autem inter hos novissimos libros interest quod tantummodo in Part. Or. quatuor orationis partes ad duas notiones referuntur. Quam distributionem pluribus locis spectatam (1, 4; 8, 27; 8, 30; 9, 31; 10, 34) apparet Ciceronem non levi momento aestimasse. Mutavit igitur saepius sententiam suam de partitione orationis sed ita ut novam quamque distributionem superiore simpliciorem esse et accuratiorem vellet paulatimque se ad rationem Aristoteliam revocaret (cf. Arist. Rhet. 3, 13)[10]).

6. De principio.

Principium autem in Partitionibus aut ex personis aut ex rebus ductum eius modi esse iubet ut qui dicit amice, intellegenter, attenteque audiatur (8, 28); quibus verbis adhibitis limatiorem aliquanto principii partitionem reddidit quam in lib. de inv. et in lib. de or. et in Oratore et in Topicis. Nam plus orator exordio

---

10) cf. Jentsch l. l., p. 24.

consequi debet quam ut qui audit benevolus et docilis et attentus fiat (de inv. 1, 15, 20; de or. 2, 19, 80; 2, 79, 322; or. 35, 122; top. 26, 97). Non enim intelleget necessario causam qui erit docilis. Neque haec virtus satis distincta est a reliquis duabus, quibus iam docilitas magna ex parte continetur. Docilis est enim, ut et Cornificius et Cicero praecipiunt, qui attente vult audire (ad Her. 1, 4, 7; de inv. 1, 16, 23). Primum igitur ad benevolentiam conciliandam principia sumenda dicuntur ex rei, disceptatorum, adversariorum personis (§ 28). Huc accedit in lib. de inv. (1, 16, 22) etiam is locus qui in rebus consistit; quem locum Cicero maturiore iudicio tantummodo in eorum numerum referendum censuit quibus oratori utendum esset ut intellegenter et attente audiretur (8, 29). Deinde de ea docilitatis parte quae etiam ad reliquas duas virtutes exordii pertinet nihil dicit sed omnia ad intellegendum refert et plura quidem in hanc rem praecepta ponit quam in lib. de inv., ut quae dicuntur de genere causarum, de definitionibus, de partitionibus, de partium confusione et multitudine. Postremo etsi Cicero eadem fere atque in lib. de inv. oratori proponenda dicit ut attente audiatur, haec tantummodo in libello postea scripto in certa distribuit genera (cf. p. or. 8, 30; de inv. 1, 16, 23); in quo etiam illud in praeceptis exordii collocat, ut, si fieri possit, ad tempus apte aliquid dicatur. Quae autem in lib. de inv. satis levia sunt aut simpliciori dividendi rationi repugnant ne perstricta quidem videmus in Partitionibus, ubi Cicero iure neque quinque illa causarum genera exordii explicandi gratia distinguit (cf. de inv. 1, 15, 20) neque exordium in principium et insinuationem dividit (cf. de inv. 1, 15, 20; 1, 17, 23) neque separatim de vitiis exordii disserit (cf. de inv. 1, 18, 26). Atque hae fere sententiae Ciceronis erant de principio.

7. De narratione.

Narratio cum non solum explicatio rerum esse dicatur, ut in lib. de inv. (1, 19, 27), sed etiam sedes ac fundamentum constituendae fidei, ut eadem in ea sint maxime servanda quae in reliquis dicendi partibus (9, 31), rursus haec altera orationis pars ipsa definitione, ut modo prima orationis distributione, cum confirmatione iugatur. Itemque ad ea quae supra erant explicata deriguntur quodam modo quae de virtutibus narrationis praecipiuntur, ut dilucida sit et probabilis et suavis. Ad narrandum enim dilucide Cicero praecepta explicandi et inlustrandi, hoc est, eorum luminum quae dilucidum et inlustre vocat (6, 19), et brevitatis repeti iubet. Alteram autem et tertiam virtutem iisdem nominibus quibus reliqua duo lumina appellat. Has tres virtutes in duo digerit genera, unum, quod perspicuitatem et probabilitatem amplectitur, necessarium, alterum, quod in suavitate positum est, ad ornandum adsumptum; quae duplex partitio tantummodo in Partitionibus invenitur. At totidem virtutes narrationis etiam in lib. de inv. et in lib. de or. et in Oratore commemorantur, quamquam in his libris brevitas una est e tribus et quae in Partitionibus tertia nominatur praetermittitur. Quod fit idem in Topicis in quibus praeterea praecipitur ut evidentes narrationes sint et moratae et cum dignitate. Iam de singulis dilucidae narrationis praeceptis supra dictum est. Quae autem ad narrationem probabilem pertinent non multum ab iis quae sunt in lib. de inv. (1, 21, 29) discrepant. Nam eadem fere ratione in utraque disputatione dictum est de personis, de locis, de causis, de opinione hominum, de more. Huc autem in Partitionibus etiam illa accedunt praecepta, ut testata et coniuncta cum auctoritate hominum et lege et religione dici videantur atque probitas narrantis et anti-

quitas et memoria significetur. Restat suavitas, quae, etsi inter virtutes narrationis nisi in Partitionibus nullum habet locum, a ratione huius partis etiam in aliis Ciceronis libris non est aliena. Tria enim in lib. de inv. (1, 19, 27) narrationis genera distinguuntur, quorum primum causarum proprium esse ac trium virtutum indigere dicitur, alterum, quod Cicero postea in praeceptis narrationis praetermittebat, notione continetur amplificationis, tertium in negotiis et personis versatur. Iniuria autem hoc tertium genus a causis civilibus removetur et ad exercitationes rhetoricas amandatur. Quare ex hoc genere Cicero, cum rursus rem tractaret, nonnulla repetiit, etsi unam omnino genus narrationis oratoriae esse volebat. Habet enim ea narrationis virtus, quae altero loco ab Antonio in lib. de or. (2, 80, 326 sqq.) exponitur, non solum credibilitatem sed etiam iucunditatis aliquid et festivitatis et venustatis; quae, quod ex repetita personarum, sermonum, festivitatis mentione et ex simili exemplo Terentiano perspicuum est, ex lib. de inv. manarunt. Huic igitur iucunditati in Partitionibus seiunctae, ut ratio postulabat, a probabilitate suavitatis nomen ex luminibus orationis petitum impositum est, brevitate, quae iam in lib. de or. aliqua ex parte improbata erat, ex numero trium virtutum sublata ac perspicuitati subiecta. Et singula quoque fere omnia, quae narratio suavis dicitur habere, aut iisdem fere verbis commemorantur in iis quos diximus libris aut plane significantur, in lib. de inv. cupiditates, metus, laetitiae, exitus inopinati, in lib. de or. colloquia personarum, dolores, motus animorum, admirationes, exspectationes. Satis ergo ex his omnibus intellegitur Ciceronem magna cum cura et cogitatione locum inter virtutes narrationis tribuisse suavitati; quod quidem eum supra vidimus non magis Topica quam libros de or. et

Oratorem scribentem faciendum putavisse. Verum ad tertiam maximamque orationis partem transeamus.

8. De confirmatione.

Disputatur igitur in confirmationis praeceptis primum de locis confirmandi et reprehendendi (10, 34—12, 44), deinde de tractatione argumentorum (13, 45—13,47). Atque hactenus eadem fere est praecipiendi ratio in lib. de inv., in quibus simili modo deinceps loci confirmationis (1, 24, 34 sqq.) et ipsa argumentorum tractatio (1, 30, 50 sqq.) exponitur. Generales autem argumentorum locos Cicero in lib. de inv., ut supra docuimus (p. 20), omnino praetermittit. Contra in lib. de or., locis inveniendi expositis (2, 39, 164 sqq.), nulla dat praecepta de iis qui proprii sunt confirmationis (cf. 2, 41, 177). Neque in Topicis, ubi hanc orationis partem attingit (26, 98), ullo verbo significat praeter locos inveniendi etiam alios esse quos in praeceptis confirmationis tractari oporteat. A reliquis igitur libris Partitiones ita discrepant ut hic solum utrumque genus locorum explicetur. Confirmandi locorum duo in coniectura genera, veri similia et propriae rerum notae (10,34), simili ratione, qua in lib. de inv. (1, 29, 44) argumentationes necessaria et probabilis, discernuntur. Enumerantur deinceps loci unde veri similia ducuntur, quo in numero sunt personae, loci, tempora, facta, eventus, naturae rerum et negotiorum (10, 34). Adiungitur etiam aliud genus argumentorum ex facti vestigiis sumptum (11, 39). At in lib. de inv. omnia, quae ad confirmationis locos pertinent, personis et negotiis attribuuntur (1, 24, 34). Primus autem est in Partitionibus locus personae neque ab extremo loco nomine negotia differunt, quamquam multo latius hic locus in lib. de inv. patet et cum aliis compluribus locum et tempus et eventum, qui sunt de locis Partitionum secundus, tertius, quintus, complectitur. Restant ex locis

qui in Partitionibus exponuntur facta, quae in lib. de inv. in iis numerantur quae personis attributa sunt. Eosdem igitur locos qui in Partitionibus ad coniecturam referuntur Cicero in lib. de inv. in praeceptis confirmationis tractaverat. Nonnulla autem quae primum personis et negotiis subiecerat accuratius postea pari ratione cum personis et negotiis coniunxit. Nam etsi in negotiis tractandis loci et tempora et eventus recte spectantur, tamen eadem saepe non minus apte in personis considerari possunt. Et sunt haec praeterea, quem ad modum facta, ita ab ipsis personis et negotiis diversa et seiuncta ut iure potius per se loci quam quasi membra locorum habenda videantur.

Quae autem ad personas pertinent in duas partes distribuuntur, naturam et fortunam (10,35); quae quidem secunda et quarta sunt ex undecim illis partibus in quas hic locus in lib. de inv. (1, 24, 34 sqq.) dividitur. Sed perspicuum est ad has duas notiones, quarum altera ea quae in persona ipsa insident, altera ea quae quasi externa sunt complectitur, omnia posse quae de personis dicenda sint revocari. Primum igitur naturam videamus, quae, ut in Partitionibus praecipitur, et in corpore spectatur et in animo. In libris autem de inv. primum, partibus naturae enumeratis, ad hominum naturam sexus, natio, patria, cognatio, aetas referuntur. Deinde commoda et incommoda commemorantur et corporis et animi atque ita ad eam partitionem quae prima est in Partitionibus pervenitur. Et singula, quae in Partitionibus in corpore et animo dicuntur considerari, etiam in lib. de inv. respiciuntur. Quae tamen ad animum pertinent non solum in commodis animi, quae ad naturam referuntur (de inv. 1, 24, 35), sed etiam in quinta et sexta ex iis rebus quae personis attributae sunt, in habitu et adfectione animi, tractantur. Sin omnia ad duas quas ante diximus notiones erant revocanda, patet ea quae

animi essent ex diversis partibus congregata in una illa sede qua in Partitionibus collocanda fuisse. Sed satis multa de natura personarum. Fortunae decem in Partitionibus tribuuntur res, ex quibus quinque etiam in lib. de inv. (1, 25, 35) eidem loco subiciuntur, libertas, divitiae, potestates, honores, liberi. De genere autem et propinquis in lib. de inv. in naturae praeceptis disputatur (1, 24, 35), de amicitiis in victu (1, 25, 35). Accedunt in Partitionibus adfines et opes, quorum saepe cum de propinquis et divitiis agitur mentio incidit. Ac de personis hactenus. Sequuntur loci (10, 36), qui ita dividuntur ut eadem duo quae in personis spectentur, natura et fortuna. Desideratur autem in lib. de inv. omnis locorum partitio. Et tamen in iis quae locis adscribuntur natura loci commemoratur (1, 26, 38), cuius mentione facile Cicero partitionem quaerens moveri poterat ut locos eadem ratione qua personas distribueret. Atque etiam in tempore rursus in eandem naturae et fortunae distinctionem incidimus. Hoc in loco inclusi sunt duo qui in lib. de inv. secundus et tertius in gestione negotii ponuntur, tempus et occasio (1, 26, 39 sqq.). Occasio autem, quae ibi quoque species est temporis, tempori, si accurate volumus partiri, subicienda est. In factis et eventu, qui proximi duo sunt loci, consilium esse aut imprudentia dicitur. In his spectatur in lib. de inv. tempus (1, 25, 36; 1, 28, 42), quod potius ad temporis praecepta pertinet (cf. p. or. 11, 37). Nec tamen omnino in lib. de inv. consilii et imprudentiae ratio habita non est. Agitur enim de utroque in iis quae praecipiuntur de modo. Modus autem si illud est in quo quem ad modum et quo animo factum sit quaeritur (ibid.), is tam arcte cum facto ipso et eventu cohaeret ut ne in praeceptione quidem ab iis separandus esse videatur. Iam tres aperiuntur imprudentiae fontes, casus, permotio animi, necessitas (10, 38). Atque eadem

paulo aliter comparata ad imprudentiam referuntur in lib. de inv. (1, 27, 41). Reliquus est is locus qui efficitur ex rerum negotiorumque naturis (10, 34; 11, 38). Nomen igitur negotiorum ex lib. de inv. arcessitum est sed compluribus quae huic loco in illis libris subiciuntur alio translatis tantummodo de tribus bonorum et malorum generibus quaeritur.

Ad hos locos indicia quaedam accedunt quae Cicero vestigia facti appellat. Et, quamquam hoc nomine nisi in Partitionibus non utitur, genus ipsum et in lib. de inv. (1, 30, 48) et in lib. de or. (2, 40, 170) attingit. Quodque de veri similibus aut singillatim aut coniuncte adhibendis addit, idem fere in secundo de inv. libro coniectura tractata adiungit (2, 14, 46). Ibi autem de exemplo et rei similitudine praecipit in probabili genere argumentationis explicando (cf. p. or. § 40; de inv. 1, 29, 46 sqq.). Fabulae praeterea mentionem in Partitionibus facit, cuius vis quanta sit edocet in lib. de or. (2, 59, 240). Ergo in his quoque, ut in omnibus fere quae ad locos coniecturae pertinent, ipsis partitionibus distributionibusque exceptis reliqua etiam in aliis Ciceronis libris inveniuntur.

Coniecturam sequitur definitio, cuius breviter ratio et via explicatur (12, 41). De hac re in lib. de inv. quae disputata sunt tum nobis consideranda erunt cum de praeceptis generis iudicialis propriis dicemus. In tertio autem de oratore libro (3, 29, 115) Cicero definitionem eius modi esse ostendit in qua quaeratur de eo quod in communi mente impressum sit, de cuiusque rei proprietatibus, partibus, forma et quasi naturali nota. Et in Topicis (22, 83; cf. 5, 27 sqq.) notionem, proprietatem, divisionem, partitionem, descriptionem definitioni attribuit. Notio autem illud est quod in communi mente impressum sit (cf. top. 5, 27; 6, 31), de divisione et partitione quaeritur cum res in partes distribuitur, eaque

est descriptio qua quae forma et quasi naturalis nota sit describitur (cf. de or. 3, 29, 115). Eadem igitur eodemque ordine atque in lib. de or. attributa definitioni sunt in Topicis. In Partitionibus brevius et accuratius sic definiendi ratio circumscribitur ut in genere sit declarando et proprietate aut communium frequentia. Nonnulli etiam ponuntur loci definitionis, contraria, dissimilia, paria, descriptiones, consequentia, explicatio vocabuli ac nominis (12, 41). Et totidem in Topicis (23, 88) loci in huius generis quaestiones convenire dicuntur, consequentia, antecedentia, repugnantia, adiuncta, causae, effectus. Nemo autem qui hos locos, consequentibus quae utrobique sunt exceptis, inter se contenderit dubitare poterit, in Partitionibus qui enumerantur quin sint ad definiendum accommodatiores.

Reliquum est id genus in quo iurene aliquid factum sit quaeritur (14, 42), cuius locos Cicero bipertito in Partitionibus distribuit. Agi enim in hoc genere demonstrat aut de dolore depellendo et ulciscendo aut de pietate, pudicitia, religione, patria, aut de necessitate, inscientia, casu. Ita etiam in lib. de inv. (2, 22, 66) in iuris praeceptis disputatur praeter alia de vindicatione, quae fiat defendendo et ulciscendo, de pietate et patria, de religione. His igitur Cicero in Partitionibus similem virtutem pudicitiam adiungit. Atque etiam tres quae sequuntur locos, necessitatem, inscientiam, casum, in lib. de inv. ad idem genus refert (2, 31, 94). Confirmandi autem locis explicatis reprehensionem persequitur.

Ac primum intellegi oportet locos esse reprehendendi qui in hac parte exponuntur. Iure enim Cicero eam quae in lib. de inv. facta est locorum et modorum distinctionem omnino in Partitionibus neglegit. Duo igitur locorum genera distinguit, ita ut primum de fictis falsisque negandis, deinde de iis quae pro veri similibus sumuntur redarguendis dicat (12, 44); quae genera pror-

sus diversa sunt ab iis quos dixi reprehendendi modis (de inv. 1, 42, 78 sqq.). Nec vero in illos modos materia reprehensionis accurate distribuitur. Alter enim de iis subesse debet tertio. Nam si complexio confici negatur, qui secundus vocatur modus, de vitioso argumentationis genere, qui tertius modus est, agitur. Quartus autem, quo argumentatio firma alia argumentatione aeque firma aut firmiore compensatur, nihil reprehensionis habet. Hanc igitur rationem Cicero Partitiones scribens secutus non est sed praecepta reprehensionis ita conformavit ut primis de confirmatione datis responderent, quod totum fictum aut falsum esset (§ 44) certis rerum notis (§ 34) et simili modo veri similibus ea quae falso pro veri similibus sumerentur. Et, quem ad modum in confirmatione coacervata ponenda esse ait (11, 40), sic contraria ratione in reprehensione, ut universa frangantur, incidenda esse singula. Haec igitur de locis confirmandi et reprehendendi praecipiuntur.

De tractatione inventorum quae dantur praecepta bipertito dividuntur spectatis duobus locorum (2, 5) generibus (13, 45—13, 47; 14, 48—14, 51). Argumenta quo modo tractanda sint praescribunt libri de inventione (1, 31, 51 sqq.); tractatio etiam testimoniorum in lib. de or. (2, 27, 118) nec tamen in universa praeceptione tractationis (2, 41, 177) perstringitur. Primum est igitur de argumentis dicendum quorum potissimum explicatio appellatur argumentatio (13, 45). Neque observatione indignum videtur huic voci argumentationis Ciceronem in Partitionibus unam omnino rem subicere, explicationem argumenti sive argumentandi rationem, in lib. de inv. non sine confusione res duas, tum ipsum inventum (cf. 1, 29, 44; 1, 40, 74), tum inventi expolitionem (cf. 1, 40, 74; 1, 37, 67 cet.). Iam argumentationem et confici iubet et distingui sive variari (§§ 46, 47). Et in lib. de inv., compluribus de argumentatione

conficienda disputatis, pauca addit de variando et distinguendo (1, 41, 76), quorum similia quaedam in lib. de or. leguntur (2, 41, 177). At in Partitionibus introducto conficiendi verbo quo ea quae variandi rationi opposita sit declaretur, universa argumentationis praecepta bipertito dispertiuntur. In conficienda igitur argumentatione duo genera Cicero distinguit eorum ex quibus aliquid efficitur, non dubia et probabilia, quae eadem paulo ante certas rerum notas et veri similia vocaverat (§§ 34, 40); similique ratione ea distribuit quae argumentando efficiuntur. Ipsam praeterea argumentationem duplicem esse ait aut ad fidem directo spectantem aut ad motum se inflectentem. In priore genere (13, 46) orator primum aliquid proponit quod probet, deinde ea sumit quibus nitatur. Sumit igitur, uti dicere solent, propositionem et adsumptionem (*λῆμμα* et *πρόσληψιν*). Tum haec confirmat adhibendis, ut intellegi oportet, approbationibus (cf. de inv. 1, 37, 67 sqq.). Postremo ad propositum se refert atque concludit. Quod igitur initio dixerat se probaturum, id nunc complexione inducta colligit ex iis quae exposuit. Hoc igitur illud est argumentandi genus quod in lib. de inv. ratiocinatio vocatur. Ac re vera genus est directum. Nihil enim qui dicit auditores celare conatur, sed recta via progrediens id quo pervenire vult petit aperte. In altero autem genere etsi orator sumit, confirmat, complectitur (§ 46 extr.), atque ita in ratiocinatione versatur, tamen quo argumentatio spectet, initio non significat. Primum enim consilium suum occultat quo magis animos eorum qui audiunt commoveat. Sunt igitur haec argumentandi genera diversae quaedam formae ratiocinationis, non ratiocinatio et inductio, quae genera et in lib. de inv. (1, 31, 51 sqq.) et in lib. de or. exponuntur. Etenim cum Antonius (2, 41, 177) proponendum docet quid adferas et quare ita sit ostendendum, breviter ratiocinationem describit. Quaeque

monet praeterea, ut interdum concludatur, alias alio transeatur, saepe non proponatur sed ratione ipsa adferenda quid proponendum fuerit declaretur, ea ita comparata sunt ut non de aliis quibusdam generibus sed de eodem quod primum significatur genere variando dici videantur. Quae autem addit, prius confirmandum esse, si cui quid simile dicas, tum adiungendum quod agatur, haec quidem ad inductionem spectant. Definierat enim Cicero antea (de inv. 1, 31, 51) inductionem orationem esse qua aliquid alicui probaretur propter similitudinem earum rerum quibus prius adsensisset. Et quem ad modum Antonius prius confirmandum dicit, sic etiam in praeceptis est librorum de inventione, primum opera detur ut necesse sit id concedere quod per similitudinem inducatur. Inductio autem quoniam proprie in interrogando et respondendo vertitur (de inv. 1, 32, 54), minus est ad usum oratorium accommodata. Quod tamen in hoc genere maximum est oratori, ut quo argumentatio spectet primum non aperiatur, id in altero quod in Partitionibus ponitur ratiocinationis genere servatur; cuius generis primordia ea videntur fuisse quae ab Antonio referuntur ad ratiocinationem variandam, ut saepe non proponatur ac ratione ipsa adferenda quid proponendum fuerit declaretur. Nec secus in iis praeceptis quae ad argumentationem variandam pertinent (13, 47) progressio Ciceronis deprehendi potest. Distinctio enim et varietas in argumentando duobus modis effici dicitur, si ornamenta sententiarum adhibeantur et similitudo in partibus argumentationis inducendis vitetur. De altero hoc modo et in lib. de inv. (1, 41, 76) et in lib. de or. (2, 41, 177) dictum est. Et Antonius hactenus etiam dicendi genus attingit ut interpuncta argumentorum occultanda esse moneat. Ea autem distinguendi ratio quae genere dicendi continetur tantum in Partitionibus valet ut pari iugo cum altera illa ratione iugetur. Argumentatione autem

explicata Cicero non minus accurate locorum adsumptorum tractationem, quae erat in lib. de inv. et in lib. de or. neglecta, docet rediens hoc modo ad sententiam Aristotelis (cf. Rhet. 1, 15) et Cornificii (cf. ad Her. 2, 6 sqq.). Quos tamen scriptores neque in partitione huius loci, in qua in Partitionibus tantummodo testes et quaestiones spectantur, neque in singulis praeterea in universum secutus est. Sed omnibus confirmationis praeceptis pertractatis licebit ad extremam orationis partem accedere.

9. De peroratione.

Nominatur haec pars in Part. Or. peroratio (1, 4; 15, 52), in lib. de inv. (1, 52, 98), ut apud Cornificium (ad Her. 2, 30, 47), conclusio, in lib. de or. conclusio et quasi peroratio (2, 19, 80), in Oratore (35, 122) et in Topicis (26, 98) peroratio. Primum ergo ad extremam orationem significandam Cicero conclusionis nomine usus est et minus quidem apte quippe quo etiam pars argumentationis appellaretur, postea perorationis nomen pedetemptim induxit, hoc nomen solum in libris novissimis posuit. Peroratio igitur in Partitionibus dividitur in amplificationem et enumerationem (15, 52), in lib. de inv. (1, 52, 98) in enumerationem, indignationem, conquestionem. Quare in Partitionibus, mutato etiam ordine, amplificatio locum obtinere indignationis et conquestionis videtur. Harum enim rerum altera orator odium concitare studet, altera captat misericordiam. Amplificatio autem non ad unum aliquem pertinet animi motum sed in animis quoquo modo incitandis versatur (8, 27; 15, 53). Neque ea qua in partes tres peroratio dividitur partitio admodum placet. Talis est enim indignationis et conquestionis cognatio ut comparatae cum enumeratione non duo genera sed unum quoddam genus efficiant. Omni autem Cicero in lib. de or. (2, 81, 32) et in Oratore (35, 122) et in Topicis

(26, 98) partitione perorationis omissa de una agit amplificatione. Huius varia est et notio et appellatio. Sic enim in Partitionibus definitur ut amplificatio sit adfirmatio quaedam gravis sive argumentatio vehemens quae ad motum animi concitandum valeat (15, 53; 8, 27). In lib. de inv. illud quod et aliis locis et in primis in perorando permovendi causa usurpetur tum indignatione et conquestione (1, 53, 100 sqq.) tum locis communibus, qui aut certae rei aut dubiae amplificationem habeant et saepe per indignationem et conquestionem inducantur (2, 15, 48), contineri dicitur (cf. etiam 2 §§ 36, 51, 56, 68, 71, 77, 83, 85, 94, 101, 102, 109 cet.). At in lib. de or. etsi eadem genera locorum communium describuntur quae in lib. de inv., paulo magis ab iis amplificandi vis segregatur separatimque ponitur (de or. 3, 27, 104 sqq.). Summam enim Crassus orationis laudem esse ait ornando rem amplificare idque in explanando et conciliando et concitando desiderari. Distinguit etiam, quem ad modum Antonius (2, 81, 332), duplex augendi sive amplificandi genus eius modi ut eo aut tollatur aliquid dicendo aut extenuetur et abiciatur, ut qui audiunt aut inflammentur aut mitigentur; quae etiam in Topicis amplificationis est notio. In Partitionibus autem hac duplici ratione neglecta Cicero notionem amplificationis accurata quam diximus definitione determinat. Conficitur amplificatio, ut praecipitur in Partitionibus, et verbis et rebus (15, 53). Et simili modo in lib. de inv. materia distribuitur locorum communium (2, 15, 49). At in lib. de or. cum amplificari res dicatur ornando, ornatus autem et in verbis et in sententiis ponatur (3, 14, 53), hi libri propius a Partitionibus absunt. Primum igitur in Partitionibus ex praeceptis elocutionis antea explicatis repetuntur quae ad amplificationem maxime sint idonea. Additur figura verborum gradatim ascendentium, quae est in lib. de or. inter

lumina verborum (3, 54, 207). Et quod praeterea Cicero adiungit, ut quasi naturalis sit oratio et non explanata, id simile est eius quod in iisdem libris de or. praescribit, ut ornatu eo qui in verborum sententiarumque floribus consistat oratio distincta sit, non aequabiliter perfusa (3, 25, 96). Ad extremum actionem, quae sit ad amplificandum accommodanda, verborum generi adnectitur. Sequuntur loci amplificationis, qui iidem sunt atque confirmationis (16, 55); quod idem iisdem fere verbis in lib. de inv. dictum est de indignatione (1, 53, 100 sqq.). Primum igitur huc ex inveniendi locis Cicero octo maxime ad amplificandum aptos transfert (16, 55; 2, 7). Adicit similitudines et exempla, quae saepe una nominantur (11, 40 cet.); neque hic solum de fictis personis mutisque loquentibus mentionem facit (cf. de or. 1, 57, 245; or. 25, 85). Deinde ea quae omnino magna habeantur, quae et in praeceptis exordii (8, 30) et in lib. de or. (2, 85, 347) attinguntur, in duo partitur genera. De misericordia vero conciliandа (cf. de inv. 1, 55, 106), de odio concitando (ibid. 53, 100), de rebus amittendis et malis ferendis (ibid. 55, 107), de brevitate in amplificando adsequenda deque Apollonii dicto (ibid. § 109) iam in lib. de inv. in praeceptis huc pertinentibus disputaverat. Et ut grandia in amplificando desiderari dicit (17, 57), sic in lib. de or. (2, 82, 337) grande illud genus dicendi appellat in quo maxima pars orationis ad motus animorum admoveatur. Denique qui loci in quoque genere causarum plurimum ad amplificandum valeant demonstrat, nec dissimilia antea maxime in generibus causarum tractandis protulerat (cf. de or. 2, 84, 344; 2, 82, 335; de inv. 1, 53, 100, 106).

Nunc festinantes tangamus quae de altera dicuntur perorationis parte. Enumeratio igitur, quae in lib. de inv. primo loco collocatur, non inepte in Partitionibus

eam partem quae maioris momenti in perorando est sequitur (17, 59). Et quae praeterea offenduntur nova unde orta sint facile perspicitur. Praecepta enim huius partis, ut paulo ante amplificationis, Cicero primum ad quodque genus accommodat causarum, temporeque ita spectato occasiones quoque enumerationis monstrat. Non autem, quem ad modum in lib. de inv., ut contraria ponantur, praecipit, sed cautius et consideratius, ut hac ratione raro reus utatur. Nec solum breviter enumerare iubet et quomodo id effici possit exponit sed cur ita faciendum sit significat. Ita perorationem primasque duas totius doctrinae partes absolvit.

III. De quaestione.

Quaestio, quae restat, partes habet duas, propositum (18, 61) sive consultationem (1, 4) et causam (ibid.); de quibus generibus Cicero quid variis temporibus iudicaverit, deinceps nobis est aperiendum ordientibus a quaestionibus infinitis.

10. De proposito sive consultatione.

Infinitae appellantur quaestiones quae non ad certas personas et tempora similiaque sed ad genus aliquod universum pertineant (cf. de inv. 1, 6, 8; de or. 1, 31, 138; 2, 10, 41; 2, 15, 65; Brut. 93, 322; or. 14, 45; top. 21, 79 sqq.). Cuius modi disceptationes Cicero primum (de inv. 1, 6, 8), sententia Hermagorae reiecta, oratori attribuendas esse negavit. Postea autem, iudicio mutato et correcto, rationem Hermagoream, quam sequebantur plerique, non improbandam sed rem accuratius et plenius quam fieri soleret explicandam esse censuit. Scriptores enim Antonius in lib. de or. quod utrumque genus appellent, unum omnino explicent reprehendit quoque modo quaestiones infinitas oratori tractandas arbitretur

in universum exponit (2, 15, 65 sqq.). Neque ab Antonio dissidet Crassus nisi quod paulo plus operae et curae collocat in hoc genere partiendo (3, 29, 111 sqq.). Uterque autem non solum eas quaestiones, quas a rhetoribus nominari neque explicari dicunt, recipiunt sed, quod illos intellegere negant (2, 31, 133; 3, 28, 110), generale esse aliquid et infinitum etiam in causis demonstrant (ibid.). Duo igitur Cicero quaestionum infinitarum genera esse voluit, unum earum quae opponerentur iis causis quae in civitate et disceptatione forensi versarentur (de or. 2, 15, 66 sqq.; 3, 29, 111 sqq.), quae modicis finibus circumscriptae prudenter in causis essent intexendae, alterum earum quae, cum omnis controversia ad universi generis vim et naturam referretur in causis ipsis inessent (2, 31, 133 sqq.; 3, 29, 111). Sed quoniam de iisdem saepe generibus universis et in causis et in quaestionibus quae causis opponuntur dicendum est, ut de bonis et malis, de honestis et turpibus, de utilibus et inutilibus, nulla certa ratione inter haec duo quaestionum infinitarum genera internosci potest. Neque postea Cicero ea distinguenda putabat. Nam etsi ea quaestio quae magis a causis videbatur remota Graece *θέσις* et Latine in lib. de or. (3, 28, 109) consultatio vocatur, his ipsis nominibus Cicero in libris postea scriptis etiam communes eas quae in quaque causa oriantur disceptationes complectitur (or. 14, 46; top. 21, 79; p. or. 1, 4). Quod genus quam penitus sit in causis insitum ut ostendat, propositum ait et in Partitionibus (18, 61; cf. 3, 10) et in Topicis (21, 80) causae esse partem. Qua in sententia fieri potest ut auctore usus sit Athenaeo (cf. Quint. 3, 5, 5; 3, 1, 16). Rem autem explicat duplici modo. In Partitionibus quaestionem infinitam reperiri significat detrahendis de causa certis personis et temporibus (30, 106). Parte igitur causae sublata, ea pars quae in disceptatione infinita posita est relinquitur. In Topicis

causam certis personis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cerni dicit aut in omnibus aut in plerisque eorum, propositum autem in aliquo eorum aut in pluribus nec tamen in maximis. Sed si nihil inter causam et propositum interest nisi quod plures in causa sint de iis rebus, quas nominavi (quas Graeci περίστασιν vocabant), quam in proposito, perspicuum est haec genera non, ut in Partitionibus, iis regionibus definiri quibus accurate inter se discernantur. Neque omni ex parte ac sine ulla exceptione recte propositum pars causae appellari potest. Quam enim late quaestio pateat si respicitur, causa pars est propositi; idque Cicero in Partitionibus scribendis haud dubie sentiebat propositum dicens non simpliciter partem causae sed quasi partem causae esse et latiorem quidem partem ad quam omnia referrentur (18, 61). Verum non solum in genere consultationum constituendo et definiendo sed etiam in nominando progressionem fecit. In lib. enim de inv. (1, 6, 8) et semel in lib. de or. (2, 19, 78) genus infinitum mero nomine appellat quaestionis. Quod quoniam causa quoque quaestio est placere nequit. In Bruto autem et in Oratore et plerumque in lib. de or. hoc genus pluribus verbis potius quam uno aliquo nomine posito aut quaestionem communem vocat (de or. 1, 31, 141) aut quaestionem infinitam generis vel generum (de or. 2, 15, 65, 66) aut de universo genere infinitam quaestionem (de or. 2, 31, 134) aut quaestionem infinitam et quasi propositam consultationem (de or. 3, 28, 109) aut consultationem infinitam (de or. 3, 29, 111) aut communem quaestionem universi generis (Brut. 93, 322) aut universi generis quaestionem (or. 36, 125). At in Topicis et in Partitionibus has quaestiones accurate definitas et proposita (p. or. 18, 61; top. 21, 79) et consultationes (p. or. 1, 4) nominat. In Topicis vocem Graecam transferens θέσιν ait, ut qui aliquid novat, nominari posse propositum. In Partitionibus, nullo nomine

Graeco allato, genus infinitum propositum se dicit vocare (18, 61). Quin etiam, quamquam primum ad quaestiones infinitas designandas consultationis nomine solo utitur (1, 4), paulo post, ubi de eodem genere agit, propositi nomen non aliter inducit ac si explicaverit antea (3, 9). Quod quidem in Partitionibus non fecerat. Ubi autem primum hoc nomen ita posuisse videretur, modo significavimus.

Sed quoniam de generis infiniti et notione et nomine diximus, veniendum est ad partitionem, cuius sunt praecepta in Partitionibus, in lib. de or., in Topicis. Quibus in libris omnibus duo propositi genera discernuntur, alterum cognitionis, alterum actionis (p. or. 18, 61; de or. 3, 29, 111 sqq.; top. 21, 81), priusque ex his generibus dispertitur in coniecturam et in definitionem et in id genus in quo quale sit quaeritur. Coniecturae igitur duplex in Partitionibus tractandi ratio adsignatur, qua aut possitne aliquid fieri aut quem ad modum fiat quaeritur. In lib. autem de or. et in Topicis consideranda in hoc genere dicuntur, primum quid sit (de or. 3, 29, 114) vel sitne (top. 21, 82) — quae duo idem valere apparet ex iis quibus inlustrantur exemplis —, deinde unde ortum sit, tum quae causa effecerit, postremo possitne immutari atque in aliud converti. Sed ita iisdem verbis designantur et tota coniectura et prima coniecturae pars. Artificiosae etiam inutilesque quaestiones videntur partis extremae, ut causa non lateat cur ex quatuor partibus prima et quarta in Partitionibus non retineantur. Reliquae autem duae etsi non integrae conservantur, tamen ab eius modi exemplis quibus in Topicis exornantur ea quae sunt in Partitionibus genera non longe absunt. Ut enim in illis natura an doctrina effici possit virtus et quibus rebus efficiatur eloquentia, sic in his quaeritur universe possitne aliquid fieri et quem ad modum quidque fiat. Atque etiam definitionem Cicero in

duo genera in Partitionibus dividit; quorum unum sit in disputatione de eodem et alio positum, alterum in generis alicuius descriptione (19, 65). Locum autem qui est de eodem et alio minus apte et in lib. de or. (3, 29, 117) et in Topicis (22, 84) in eo ponit genere in quo quale quid sit quaeritur, quamquam hunc eundum locum in Topicis (23, 87) finitimum definitioni et formam quandam esse definitionis ostendit. Quam quidem rationem in Partitionibus secutus non iubet, nisi in definitione tractanda, de eodem et alio quaerere. Iam ea quae de generis descriptione dicuntur ad ipsam definiendi rationem pertinent, de qua supra in praeceptis confirmationis examinandis disputavimus. Tertium genus cognitionis, in quo quale sit quaeritur, consideratur — sic docet Cicero et in Partitionibus (19, 66) et in lib. de or. (3, 29, 116) et in Topicis (22, 84) — aut simpliciter aut ex comparatione. In superiore genere quaerendum dicit in Partitionibus de honestate, utilitate, aequitate, in lib. de or. et in Topicis praeter honestatem et aequitatem de rebus expetendis fugiendisve; quem ad locum reliqui duo possunt revocari. Utilitate autem in Partitionibus inducta novum quoddam membrum ad honestatem et aequitatem accedit. Et de comparationis genere rursus eodem modo in lib. de or. et in Topicis, aliter in Partitionibus praecipitur, in illis, ut de eodem et alio et de maiore et minore, in his, ut de duobus comparandi gradibus in iisdem illis rebus quae simpliciter tractantur, velut quid sit honestius, quid honestissimum, quaeratur. Ac de eodem et alio potius in definitione agendum esse supra demonstravimus. Superlativus autem gradus eodem iure quo comparativus in hoc genere spectatur. Sed hactenus de cognitionis praeceptis; de actionis, quae altera erat propositi pars, pauciora dicenda sunt. Non enim in hac parte Partitiones procul a lib. de or. et a Topicis abhorrent; in quibus libris omnibus actio in duo

genera dividitur, quorum alterum ad rationem officii, alterum ad motum animi pertinet (p. or. 19, 67; de or. 3, 30, 118; top. 22, 86). In eo autem quod secundo loco nominatur genere explicando Cicero in lib. de or. et in Topicis eodem ordine et paene iisdem verbis de motu animi gignendo vel sedando planeve tollendo loquitur. His tribus adiungit in Partitionibus concitandi notionem et quatuor quae sic oriuntur genera ita disponit ut tollendi et sedandi rationibus gignendi et concitandi genera respondeant. Quare et in his quomodo Partitiones a lib. de or. et Topicis differant et de iis quae ad consultationes pertinent universis quid iudicandum sit perspicimus.

11. De causa.

Alteram partem quaestionum, quae in certis personis temporibusque versatur, Cicero in Partitionibus (20, 69) et in lib. de inv. (1, 5, 7) et in lib. de or. (2, 15, 65 cet.) et in Topicis (24, 91) in tria dispertit genera causarum, laudativum, deliberativum, iudiciale. Ea autem distributio nova est, qua primum ex his tribus generibus, quam exornationem vocat, in delectando, reliqua duo in obtinendo, probando, efficiendo ponit (20, 69; 3, 10).

Laudationes, quae primum habent in Partitionibus locum, et perbreviter in lib. de inv. (1, 5, 7; 2, 59, 177) tractantur et in lib. de or., quamquam ut aliquando adhibendae explicantur (de or. 2, 84, 341 sqq.), tamen initio ut minus necessariae paene a praeceptis dicendi secluduntur (2, 10, 43; cf. § 341); itemque in Oratore, etsi cum partibus fungantur nutricis minime eas Cicero contemnendas, tamen a foro alienas propriasque gymnasiorum et palaestrae esse significat (11, 37; 13, 42). At huic generi in Topicis (24, 91 sqq.) reliqua nullo modo anteponit negatque expressis verbis in Partitioni-

bus ullum esse genus orationis copiosius quam laudationes aut civitatibus utilius aut in quo magis cognitio virtutum vitiorumque requiratur (20, 69). Quare mirum fecisset nisi etiam accuratiorem in Partitionibus et ampliorem quam in libris quos antea scripserat praeceptionem generis laudativi esse voluisset. Proficiscitur autem ab eadem sententia universa atque in lib. de or. (2, 84, 342; cf. et. 2, 11, 46), omnia quae cum virtute coniuncta sint laudanda esse, contraria vituperanda. Unde sequitur ut finis laudationis sit honestas (21, 71). Cum autem hoc genus non tam persuadendi (ibid.) quam delectandi causa (§§ 10, 11, 12, 58, 69, 72; de or. 2, 84, 341; or. 11, 37 sqq.) adhibeatur, primum ad hunc alterum finem universam tractandi rationem accommodat. Nec vero nova hoc loco in Partitionibus adfert sed et narrandi et augendi praecepta huc iubet transferre et ipse cum ex aliis suis libris tum ex amplificationis (15, 53 sqq.) et narrationis (9, 32) et elocutionis (§§ 19, 21) supra explicatis rationibus nonnulla repetit (cf. et. or. §§ 38, 67, 149, 172, 189, 307; de or. 3, 44, 175 sqq.).

Tractationis praeceptionem partitio excipit locorum; quorum in Partitionibus (22, 74) eadem tria ponuntur genera quae in lib. de inv. (2, 59, 177) et in lib. de or. (2, 84, 342), bona externa et corporis et animi. Virtutes autem, quibus hoc tertium genus continetur, cum Cicero non eodem ubique modo distribuerit, earum diligentius praecepta inter se conferenda sunt. Primum igitur et in Partitionibus dicit et in lib. de off. (1, 5) omnem virtutis vim aut in scientia aut in actione versari (cf. et. Arist. Ethic. Nic. A 13). Deinde eam virtutem quae scientia cernatur prudentiam nominat, quae in privatis rebus domestica, in publicis civilis appelletur. Itemque universo generi quod in agendo versetur unum imponit nomen temperantiae temperantiamque propriis et com-

munibus rebus spectatis bipertito dividit partesque eius magnitudinem animi et iustitiam vocat. Omnem autem in lib. de inv. (2, 53, 159 sqq.) virtutem in quatuor dispertit ex aequo coniunctas partes, in prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam; easdemque quatuor honestatis partes, nominibus nonnumquam mutatis, discernit et enumerat in lib. de fin. (2, 14, 45 sqq.; cf. 2, 16, 51) et in Tusculanis disputationibus (3, 8, 16 sqq.) et in lib. de off. (1, 6, 18 sqq.; 1, 7, 20 sqq.; 1, 18, 61 sqq.; 1, 27, 93 sqq.); neque aliter ut videtur rem instituit in proprio quem scripsit de quatuor virtutibus libro (cf. M. T. Cic. scripta, recog. a C. F. W. Muellero, part. IV. vol. III. p. 340). Omni igitur in Partitionibus virtute in prudentiam et temperantiam divisa temperantiaeque iustitia et magnitudine animi, quae fortitudinem continet, subiectis, quae in reliquis libris quatuor virtutes sunt ad duas revocantur.

Sed quaerendum etiam illud potest, non quot sint virtutes, sed quibus in rebus virtus omnis vertatur aut quibus ex fontibus manare videatur. Adfirmat igitur Cicero in lib. de off. (2, 5, 18) (nam aliorum sententias de initiis virtutis quas in lib. de fin. profert omittimus), omnem virtutem tribus in rebus esse positam, quarum una sit in veris perspiciendis, altera in perturbationibus animi continendis, tertia in hominibus moderate et scienter utendis. Valde autem nostro iudicio errat, si quis, quem ad modum Madvigius (ad Cic. de fin. 4, 2, 4) et Heinius[11]), hoc loco de virtutum partitione disputari arbitratur. Nam Cicero neque singulas virtutes nominat et iisdem in libris, ut antea demonstravimus, eas non tres sed quatuor esse ponit. Quatuor sunt igitur virtutes et tres virtutum fontes in lib. de off. discripta

---

[11]) Cf. ad loc. (de off. 2, 5, 18) O. Heine in ed. lib. de off. a. 1878.

et definita. Quae numerorum distinctio iure potest reprehendi. Quot enim sunt diversi separatique virtutum fontes, tot nec plures primas illas virtutes haberi oportet ad quas reliquae referantur. Et huius modi rationem Cicero in Partitionibus sequitur duplicem ostendens esse omnem virtutis vim omnesuqe virtutes ad prudentiam et temperantiam redire. Neque enim recte, praetermissa temperantia partibusque eius spectatis, eadem triplexpartitio in Partitionibus intelligitur quae in lib. de off. (2, 5, 18)[12]. Quo enim iure temperantiam praetermittimus? An non perspicuum est magnitudinem animi iustitiamque non duo virtutis principia esse dici sed ad unum illud initium referri quod in moderandis cupiditatibus regendisque animi motibus versetur (p. or. 2, 76)? Neque, ut esset triplex etiam in Partitionibus fontium distributio, eaedem tres partes evaderent quae in lib. de off., quae si omnino virtutum nominibus appellentur, una de iis necessario temperantiae, quae in Partitionibus praetermissa fuerit, nomine designetur (cf. Mad. ad Cic. de fin. 4, 2, 4). Cur denique magis temperantiae partes numerentur quam prudentiae, quam Cicero eadem ratione partitur, non dispicias. Accuratior est igitur in Partitionibus quam in lib. de off. numerorum ratio quae inter virtutes virtutisque principia intercedit.

De bipertita autem et quadripertita virtutis partitione existimare non possumus nisi singulis virtutum notionibus enodatis. Ac prima quidem virtus scientia verique perspicientia continetur, quae notio universa apud Ciceronem non variatur (p. or. 22, 76; de fin. 2, 14, 46; de off. 1, 5, 15). Dispertitur autem haec virtus in lib. de inv. (2, 53, 160) in memoriam, intellegentiam, providentiam, in Partitionibus in prudentiam domesticam et civilem. Unam ergo in Partitionibus Cicero de pru-

[12]) Cf. ad loc. C. F. W. Mueller in ed. lib. de off. a. 1882.

dentiae formis a rebus publicis abhorrere, alteram ad res publicas pertinere censet. Quae sententia et per se apta et prorsus ad Romanorum mores sententiasque accommodata erat. At idem Cicero in lib. de off. quoniam de ea omnino forma primae virtutis loquitur quae a rebus gerendis abducat quaeque actione intermissa recte colatur (1, 6, 19), hanc virtutem totam voluisse videtur a rebus publicis alienam esse et remotam; quae praecepta vix ita instituisset, si iam de ea partitione huius virtutis quae est in Partitionibus cogitasset. Sed, ut ad eas virtutes quae actione continentur veniamus, temperantiam in Partitionibus eius modi esse definit ut in moderandis cupiditatibus regendisque animi motibus consistat. Eademque est sententia aliis verbis comprehensa etiam in lib. de inv. (2, 54, 164) et in lib. de off. (1 §§ 17, 93, 102). Sequuntur in Partitionibus partes temperantiae, quarum altera ad proprias res hominum singulorum, altera ad res communes pertinet. De quibus partibus prior ea virtus est quae modo fortitudo (de inv. 2, 54, 163; de fin. 1, 15, 49; 2, 16, 51; 5, 23, 67; Tusc. 3, 8, 17; de off. 1, 19, 62 cet.), modo magnitudo animi (p. or. 22, 77; de off. 1, 19, 64 cet.) appellatur. Magnitudo igitur animi in Partitionibus ad moderandas cupiditates regendosque animi motus refertur sed ita ut semper ad unius alicuius res pertineat et in rebus commodis aut non expetendo aut abstinendo, in rebus incommodis aut fortitudine aut patentia cernatur (22, 77). Ac praecipue in duobus his extremis, fortitudinem dico et patientiam, ea notio fortitudinis quae est in lib. de inv. (2, 54, 163) vertitur. Sic enim ibi definitur ut sit fortitudo considerata periculorum susceptio et laborum perpessio. In magnificentia autem quae in partibus fortitudinis ponitur, accedentibus etiam fidentia, patientia, perseverantia (ibid.), alta illa et excelsa attinguntur in quibus non tam quae suscipiuntur et perfe-

runtur quam ipsius animi habitus spectatur. Planius autem in lib. de fin. (2, 14, 46) haec virtus effici significatur iis quae magnum altumque animum declarent. Ad quam sententiam ipsum virtutis nomen in lib. de off. aliqua ex parte accommodatur, quae non solum fortitudo sed saepe fortitudo et magnitudo animi aut tantummodo magnitudo animi vocatur (1 §§ 61—92); quo nomine solo haec virtus tota in Partitionibus designata est. Haec ergo de nominis mutatione. Notio ipsa qualis sit plenius Cicero in lib. de off. quam in lib. de inv. et in lib. de fin. exponit. Fortitudinem enim sive magnitudinem animi duobus contineri dicit, altero in despicientia rerum externarum, altero in rebus magnis arduisque gerendis posito (de off. 1, 20, 66). Despicientiam autem rerum externarum ad duo refert (1, 20, 67), si quis id solum quod honestum sit bonum iudicet itaque, quod clarius ex exemplis positis elucet (§ 68), cupiditates moderetur et si ab omni animi perturbatione liber sit. Ergo ex hac parte magnitudo animi ad easdem res atque temperantia revocatur eiusque notio universa eadem fere est quae in Partitionibus. In his autem multo accuratius tota res distribuitur maximeque videntur in lib. de off. illa neglegenter instituta quod neque magnitudo animi et fortitudo neque fortitudo et patientia distinguuntur. Iam alteram videamus temperantiae partem ad communionem rerum pertinentem; quod quidem maxime proprium esse iustitiae saepe Cicero variisque modis significavit. Ait enim in lib. de inv. (2, 53, 160) iustitiam communi utilitate conservata suum cuique tribuere et in lib. de fin. (2, 14, 45) hominem hac virtute nascente se societate omnium mortalium implicare et in lib. de off. (1, 5, 15) eandem virtutem in hominum societate tuenda tribuendoque suum cuique et rerum contractarum fide versari. In primisque duo tribuit in lib. de off. (1, 7, 20) muneri

iustitiae, primum ut ne cui nisi iniuria lacessiti noceamus, deinde ut communibus pro communibus, privatis pro nostris utamur. Qui autem fiat ut quem ad modum non deceat noceamus aut communibus pro nostris utamur, duobus iniustitiae generibus expositis ostendit, si iniurias nocendi causa ipsi de industria inferamus et si aliorum quibus iniuriae inferantur defensionem praetermittamus (1, 7, 23 sqq.). Quorum generum causae deinceps aperiuntur, prioris, quod saepe metuant homines incommoda, plerumque autem aliena concupiscant; posterioris (§ 24), quod inimicitias, laborem, sumptus suscipere nolint aut neglegentia, pigritia, inertia, suis studiis, aliis eius modi rebus impediantur. Similes sunt igitur utriusque generis causae. Metuunt enim homines inimicitias suscipere et cupiditate quadam otii aut possessionum adducti suam rem familiarem et suam operam curamque ad communem utilitatem conferre nolunt. Ita iustitia, quem ad modum fortitudo, eodem quo in Partitionibus refertur, ad regendos animi motus cupiditatesque moderandas. Apparet igitur, singulis virtutibus examinatis, universam unius cuiusque notionem in lib. de off. eodem fere modo atque in Partitionibus determinari neque magnitudinem animi iustitiamque, ut in ipsis de off. libris constitutas ac definitas, quicquam esse nisi diversas temperantiae formas. Ratio igitur postulabat ut etiam in his libris temperantiae fortitudo et iustitia subicerentur. Non enim qui eius modi partitionem reprehenderunt (cf. Mad. ad Cic. de fin. 4, 2, 4) satis videntur singularum virtutum praecepta attendisse. An quod a Graecis in hac re Cicero dissidere audebat, ideo rem necessario corrupit et depravavit? Immo multo magis in errore erat quod sibi in lib. de off. non constabat sed usitatam neque singulis virtutibus quales ipse eas definiebat consentaneam partitionem retinebat. At dixerit fortasse aliquis Ciceronem in his libris, etsi

scriptae iam essent Partitiones, tamen sua relicta sententia, Panaetii decreta sequi voluisse. Ita vero quo minus iudicemus verba Ciceronis prohihent dicentis, se non interpretis munere functurum sed a Stoicis ea tantum mutuaturum quae sibi probanda videantur (1, 2, 6). Probare autem ea dividendi vitia quae exposuimus qui potuisset, si eadem paulo ante tam diligenter quam in Partitionibus evitasset? Eodemque alia et breviore via adducimur. Nam colligatae inter se et implicatae virtutes (cf. de off. 1, 5, 15) quibus vinculis rationibusque constringerentur, Cicero variis locis ostendere conatus est. Temperantiam enim et in lib. de fin. (2, 14, 47) ex reliquis tribus virtutibus aptam esse statuit et in Tusc. disput. (3, 8, 16 sqq.) eam reliquas tres virtutes complectentem et continentem teneri iis quibus plerique putarent angustiis negavit. Et tamen, quod huic sententiae quam maxime repugnabat, consuetam numerandi rationem secutus earundem quatuor virtutum praecepta et in illis libris et in lib. de off. decantare pergebat. In Partitionibus autem non modo temperantiae, a qua tantummodo prudentiam disiunxit, magnitudinem animi et iustitiam subici volebat sed, quod unum consentaneum erat, ad hanc rationem praecepta omnia derigebat.

Expositis igitur quae ad distributionem virtutum attinent, pauca de reliquis earum praeceptis addantur. Ac primum ad magnitudinem animi Cicero in Partitionibus refert, praeterquam quae in ipsa partitione commemorat, praecipue liberalitatem in usu pecuniae. At cum iustitia liberalitatem in libris de officiis coniungit et ita quidem ut eam virtutem quae ad communitatem vitae pertineat his duabus partibus constare velit. Sed quatenus benignitatem benevolentiamque liberalitas complecti dicitur (cf. de off. 1, 7, 20; 1, 14, 42 sqq.; 1, 15, 47 sqq.), hactenus non est quod iustitiae ipsi non subiciatur, quod in Partitionibus factum esse apparet boni-

tate amicitiaque inter partes iustitiae nominatis (§ 78). In ea autem liberalitate quae ad usum pecuniae spectat non tam id agitur ut suum cuique tribuatur quam ut animus altus angusta parvaque fugiens sibi satisfaciat. Quam sententiam perstrictam in libris de officiis videmus (1, 20, 68), in Partitionibus omni notionum confusione sublata plane enuntiatam. Deinde cum minime apte in lib. de inv. partes iuris, quod habitus animi non est neque recte virtus appellatur, in distributione iustitiae expositae sint, omnes iustitiae partes quae in Partitionibus enumerantur eius modi sunt ut recte virtutes habeantur, aliis ut religione et pietate, quae erant in lib. de inv. in expositione iuris commemoratae, retentis, aliis eiusdem generis ut fide, bonitate, amicitia adiunctis. Tum rursus ad primum genus virtutum reditur in eoque aliae virtutes duae ponuntur, dialectica et eloquentia, tamquam ministrae comitesque sapientiae, quarum unam Cicero iam in lib. de or. virtutis nomine dignam existimaverat. Eloquentiam enim non solum Antonius a Mnesarcho aliisque ita appellatam esse narrat (1, 18, 83) et ipse virtutis loco habet (2, 84, 344) sed etiam Crassus unam de summis virtutibus esse dicit (3, 14, 55) et Stoicos virtutem et sapientiam vocantes comprobat (3, 18, 65; cf. Quint. 2, 20, 10). Concluduntur etiam in pressam illam nitidamque definitionem, eloquentiam esse copiose loquentem sapientiam, quae sunt in lib. de or. diffusa et dissipata (3, 20, 76, cet.). Dialecticam autem, quam Academici eadem ratione eodemque iure quo eloquentiam virtutem esse voluerunt (cf. Acad. 1, 2, 5), nusquam Cicero ipse nisi in Partitionibus, etsi saepe eam respicit isdemque fere verbis quibus hoc loco comparat cum vi oratiora (de or. 2,38, 157; Brut. 41, 151 sqq.; or. 32, 113 sqq.; de fin. 2, 6, 17), tamen in virtutibus numerat; quamquam proxime ad hanc sententiam in Tusc. disput. (5, 25, 72)

accedit. Nec minus agnoscitur curae in iis quae sequuntur de verecundia, quae, ut antea memoria partibus rhetoricae (1, 3), sic custos omnibus data est virtutibus. Cum enim eo maxime cernatur verecundia quod fugiat dedecus, partibus fungitur decori (cf. de off. 1, 27, 93 sqq.), cuius duo Cicero genera in lib. de off. intellegit, et generale quoddam decorum quod in omni honestate versetur et aliud huic subiectum quod singularum virtutum ac potissimum ut videtur quartae virtutis sit proprium. Difficultas autem inter haec duo genera distinguendi evitatur custode omnium virtutum verecundia constituta.

Ita ad finem praeceptione virtutum ipsarum perducta, alii quidam perfecti animi habitus quibus studiis ad virtutem praecoli et praeparari possint aperitur; quae res in lib. de inv. attingitur in habitus et in studii definitionibus (1, 25, 36), non ut in Partitionibus, quamquam aptissime hoc ita institutum est, quaestioni de virtutibus adnectitur. Sequuntur deinceps vitia (23, 81), quorum et in lib. de inv. et in Partitionibus, in his autem plenius, ea potissimum memorantur quae imitari videantur virtutes. Denique indicatur summatim qui sint maxime loci in tota laudatione inlustrandi (23, 82). Sed de primo genere causarum iudicia Ciceronis qualia essent satis videmur expendisse.

Suasionum deinceps rationes quem ad modum explicaverit, persequendum est. Finem igitur huius generis primum ei cum Aristotele dissentienti honestatem et utilitatem esse placebat (de inv. 2, 51, 156); similiterque fere eum in lib. de or. scribendis iudicavisse ex universi generis praeceptis efficitur (2, 82, 334 sqp.). Postea autem cum in utilitate una finem generis deliberativi poneret, magis inter se laudationum et suasionum fines distinctos reddidit et ancipitem quandam rationem e duplici fine nascentem sustulit ad utilitatem referens etiam

ea quae in deliberationibus dici possent de honestate. Ita ad sententiam Aristotelicam revertendo progressus est (p. or. 24, 83; top. 24, 91). Et quamquam in Partitionibus, ut in antea scriptis libris (de inv. 2, 56, 169 sqq.; de or. 2, 82, 336), quaeri in deliberando dicit non modo quid utile sit verum etiam quid fieri possit aut quam facile possit et quid necesse sit aut quam sit magnum, tamen rationibus suasoris et dissuasoris breviter praescriptis omnibusque illis quaestionibus ad duas redactis novam et aptam totius rei distributionem adsequitur. Quaerendum autem demonstrat quid utile sit quidque fieri possit.

Utilitas igitur quod in bonis malisque versetur (24, 86), bonorum partitionem ad deliberationes accommodat necessariaque bona distinguit et non necessaria; quorum generum similiae sunt eae utilitatis partes quae in lib. de inv. incolumitas et potentia vocantur (2, 56, 169). Si enim illud necessarium est sine quo salvi liberive esse non possumus (p. or. 24, 83), ea necessaria sunt quae quasi ad corpus alicuius rei pertinent eamque incolumem conservant (de inv. 2, 56, 168 sqq.). Minus autem necessaria ea esse dicuntur quibus efficiatur potentia (ibid.). Ergo etsi non omnia utilia quae non sunt necessaria potentiae nomine comprehenduntur ideoque minus absolute in lib. de inv. quam in Partitionibus res dispertitur, tamen duae de quibus agimus partitiones ita consentiunt ut facile altera ex altera potuerit oriri. Haec distinctio bonorum necessariorum et non necessariorum accommodatissima erat ad consilium quo secundus Ciceronis scriptus est de officiis liber. Explicatur enim illo libro quae genera officiorum ab utilitate ducantur; qua in quaestione, praesertim si utilia inter se comparantur, — cuius rei praecepta a Panaetio omissa Cicero suo Marte supplevit, — maxime quaeritur quanta sit vis et qui gradus eorum quae utilia habeantur quibus adducti

ad agendum impellamur. Si enim utilitates tantae esse possunt ut recte ducantur necessariae, tales cum incident spectabunturque certam officii deligendi rationem praebebunt; quam in lib. de off. ne in comparatione quidem utilium (2, 25, 88) explicatam esse admiraremur, si antea brevi quo statuunt intervallo Cicero eam partitionem bonorum quae est in Partitionibus exposuisse putandus esset. In iis porro quae necessaria non sunt discernit, ut etiam in lib. de inv. in rerum expetendarum tractatione (2, 52, 157 sqq.), quae honestate ipsa et quae commoditate aliqua sive simplici sive coniuncta cum honestate expetuntur. Amicitiam autem in Partitionibus (25, 88) non ad honestatem et utilitatem (de inv. 2, 55, 166 sqq.) sed ad solam refert honestatem. Cumque in Laelio (8, 27) amicitiam a natura doceat oriri amore et caritate, et hanc sententiam respicere videtur et paulo longius progredi sic amicitias definiens ut eas velit caritate et amore cerni (p. or. 25, 88). Generibus autem bonorum constitutis, cum iam in primo genere ipso ratio habeatur necessitatis, restat ex iis rebus quae in lib. de inv. utilitati et honestati attribuuntur (2, 52, 158; 2, 56, 170) adfectio; cuius quidem vi spectata explicatur deinceps quo modo concertatio quaedam utilitatis et honestatis exsistat deliberationesque pariat (p. or. 25, 89 sqq.). Temporibus igitur Cicero fieri posse ait ut utilitas et honestas inter se contendant; quae in lib. de or., vi temporum neglecta, videri modo inter se certare dicit consultoque, ut opinamur, huius modi oratione usus est. Cum enim sententiae Stoicorum adsentiretur, quidquid honestum esset, idem esse utile neque utile quicquam quod non honestum (de off. 3, 4, 20; 3, 8, 35), hoc ipsum in libris de officiis ostendere studebat, numquam posse re vera honestatem et utilitatem inter se pugnare (3, 3, 11 sqq.; 3, 7, 34). Ab eo autem quod posuerat Panaetius profectus et quod ille scripturum dixerat neque exsolverat ipse adgressus

duo quae homines non sapientes in officiis expendendis comparare solerent statuebat esse alterum quod honestum esset, alterum quod utile videretur (3, 7, 34; 3, 13, 56; 3, 32, 114; 3, 33, 120 cet.); quae si contenderentur, videri quidem honestatem et utilitatem inter se pugnare (3, 7, 34; 3, 12, 50; 3, 13, 56; 3, 17, 72 cet.). At hac repugnantiae formula non omnia quae debebat complectebatur. Nam si id quod honestum sit cum eo quod utile videatur certare statuemus, eadem ratione necessario ponemus id quod vere utile sit et id quod honestum videatur inter se confligere. Cuius generis exempla sane nonnulla allata sunt (cf. 3, 25, 95). Sed in eam quae una constituta erat repugnantiae formam non cadunt. Utrumque autem repugnandi genus Cicero in Partitionibus unam in formulam concludit eademque patefacit qui fiat ut omnino eius modi contentiones oriantur. Quod enim ait, temporibus fieri ut honestas et utilitas inter se contendant, sic interpretemur oportet ut intellegamus, quod plerumque utile habeatur et appelletur, id temporibus mutatis cum honestate certare posse et nonnumquam cum utilitate confligere quae honestas existimari et nominari soleat. Et longius ita quam in lib. de off. a lib. de inv. disceditur. Id enim de quo omnibus his locis agitur ita verbis effertur ut in lib. de inv. (2, 58, 176) de commutatione honestatis et utilitatis, praetermissa harum rerum contentione, in lib. de off. et de hac commutatione (1, 10, 31; 3, 4, 19; 3, 25, 95) et de ea quae videatur repugnantia, in Partitionibus de ea quae temporibus fiat concertatione dicatur. Sed pergimus ad tractandi praecepta. In his Cicero in lib. de or. (2, 82, 335) omnia ad genera derigit oratorum, qui aut honestatem aut utilitatem defendant, consideratius autem in Partitionibus in primis auditores respiciendos esse significat ad eorumque opiniones orationem accommodandam. Quam in sententiam et alia quaedam nova adiungit de volup-

tate laudanda et malis depingendis, quibus rebus homines agrestes et indocti, etiam si reliqua spernant, moveri possint.

Sed ad alteram ex duabus partibus in qua quid fieri possit quaeritur perventum est (26, 93; cf. 24, 86); quae quaestio etiam in lib. de or. contentionem utilitatis et honestatis excussam consequitur (2, 82, 336), magis autem in Partitionibus dilatatur, primum causarum generibus, quae eadem exponuntur in libro de fato (16, 36) et in Topicis (14, 58), deinde ipsis explicatis efficiendi rationibus. Sic Cicero quae inchoata tantum antea erant ad perfectionem quandam et absolutionem perduxit. Nec dissimile fortasse studium in exquisitiore causarum nominandarum ratione perspici potest. Non enim, ut in libris de divinatione et in libro de fato et in Topicis, eas causas quae sua vi aliquid efficiant efficientes appellat sed usitatioribus verbis evitatis conficientes vocari iubet et eius modi esse dicit ut ipsae conficiant (p. or. 26, 93 sqq.; de div. 1, 55, 125; de fat. 14, 33; 16, 36; top. 14, 58).

Denique nonnulla ponit orationis in genere deliberativo tractandae praecepta maximam partem aut ex iis quae proxime praecedunt petita, ut de utilibus et honestis, aut similia eorum quae data antea erant de collocatione aut de exordio et peroratione aut universe de amplificatione, cuius modi sunt quae ad exempla (§§ 55, 58), ad odium (§ 56), ad statum fortunarum et eventus dubios (§ 57), ad principia aliaque pertinent. Ita et haec et superiora, quae in Partitionibus de suasionibus praecipiuntur, aut simpliciter aut cum correctione quadam et amplificatione duci ex ipsius Ciceronis libris poterant.

Sed cum tria sint genera causarum deque duorum praeceptis disputatum, de tertii dicendum est. Agit igitur Cicero in Partitionibus de fine generis iudicialis (28, 98), de iudicio constituendo (28, 99), de statibus (29, 101 sqq.),

de ratione (29, 102), de firmamento (29, 103), de disceptationibus (30, 104 sqq.), de certarum quae huius generis sunt causarum tractatione (31, 109 sqq.). Atque eadem fere in lib. de inv. ordine non admodum diverso tractantur. Disputatur enim primum de constitutionibus et in earum explicatione etiam de iudicio constituendo (1, 8, 10 sqq.); deinde de iis rebus quae arcte cum statibus cohaerent (1, 12, 17 sqq.), cuius generis sunt quod praecipitur ut consideretur utrum causa simplex sit an iuncta (cui rei in Part. 29, 101 satis factum esse videtur cum significatur pluribus statibus si fieri possit utendum esse), controversiae scripti (quae in Part. 31, 108 in numerum disceptationum referuntur), quaestio (quae in Part. 30, 104 diffusa et prima quaestio appellatur et in praeceptis attingitur disceptationis), ratio, iudicatio (quae est in Partitionibus disceptatio), firmamentum; postea in secundo libro (2, 4, 14 sqq.) de locis qui sint ad singulas constitutiones accommodati. De his partibus omnibus Ciceronem in libris de oratore accuratius disserere noluisse non miramur. Unam autem partem late patentem, quae ad locos pertinet singularum constitutionum, non modo praetermisit sed ea omnino in praeceptis dicendi supersedendum esse censuit (2, 41, 175; 3, 30, 119). At in Topicis, quamquam tantummodo locos inveniendi explicavit plene, breviter eos percucurrit qui essent ad quodque genus propositorum accommodati eosdemque etiam ad causas volebat transferri (§§ 86, 90). Ut igitur in confirmationis praeceptis (cf. p. 33) utrumque genus locorum et generalium et eorum qui proprii sunt confirmationis nisi in Partitionibus expositum non est, sic simili ratione in ea parte de qua nunc quaeritur et Topica et Partitiones videmus a reliquis libris abhorrere. Et omnino quae in Partitionibus partes sunt generis iudicialis, eae etiam in Topicis adumbrantur. Dicitur enim breviter de fine (top. 24, 91), de statibus (25, 93), de iis rebus quae cum

statibus coniunctae sunt (25, 95), de disceptationibus (25, 95), tractationibus (26, 97).

Finem igitur generis iudicialis Cicero numquam quicquam esse aliud existimabat nisi aequitatem (p. or. 28, 98; de inv. 2, 4, 12; 2, 51, 156; cf. de or. 1, 31, 141). Quamquam enim in Topicis potius iuris ponit quam aequitatis nomen, utrique partes tribuit easdem (24, 91). Illud autem novum in Partitionibus adfert, quod finem quem diximus non solum simpliciter sed interdum etiam ex comparatione spectandum esse ait, repetita ex praeceptis propositorum etiam accuratiore de qua supra dictum est comparandi ratione.

Fine autem generis exposito ea, quae in iudicio constituendo tractari soleant, non inepte ut quae ante iudicium ipsum agantur separatim a constitutionibus commemorat, natura et genere a statu generali non seiungit (28, 99 sqq.). Status quidem notionem universam Cicero triplici modo designat aut circuitu quodam verborum nullo adhibito quod artis proprium sit vocabulo, ut saepe in omnibus libris, aut constitutionis nomine, ut in lib. de inv. Cornificium secutus, aut status nomine, ut in Topicis et in Partitionibus. Illud autem inter libellos quos extremo loco nominavimus interest quod in Topicis quod Graece dicitur στάσις, id Latine prorsus eadem ratione facto nomine appellari iubetur, ita ut hic vocis usus novari videatur (top. 25, 93); contra in Partitionibus, explicatis constitutionibus necdum uno certo vocabulo designatis, status nomen sine ulla definitione aut Graecae vocis mentione ut notum inducitur (29, 102); quamquam hoc modo positum neque antea in Partitionibus neque in reliquis Ciceronis scriptis nisi in Topicis invenitur. Ac simile quiddam in notione ipsa animad vertipotest. Constitutionem enim Cicero in lib. de inv. primam esse definit causarum conflictionem ex depulsione intentionis profectam (1, 8, 10). Non autem in Partitionibus et in

Topicis ipsam causarum conflictionem sed tantummodo illud statum esse significat quo resistatur aut in quo ad resistendum consistatur. Etenim sic rem explicat ut statum refutationem esse accusationis dicat (top. 25, 93) et statu aliquo resisti (p. or. 29, 102) et unum aliquid ex tribus negari (p. or. 29, 101) aut in statu defensionem ad repugnandum insistere (top. 25, 93) et gradum capi ad resistendum (p. or. 29, 101) et triplici modo consistendum esse (ibid.). Quae notio constitutionis, quam recte Quintilianus (3, 6, 13) ab altera notione secernit, accommodata videtur ad simplicem et paratam novi illius nominis interpretationem (cf. top. 25, 93). Status autem nomen a Cicerone primum in Topicis ad constitutionem designandam adhibitum videri ostendimus. Iam hoc neminem potest fugere neque status quales exposuimus nisi in genere iudiciali oriri et ab his generales illas constitutiones quae in suasionibus et laudationibus versantur plane esse diversas[13]). At in lib. de inv. harum aliqua constitutionum, quae in genere iudiciali uno oriuntur, necessario in omne genus causarum dicitur incidere (1, 8, 10; 1, 10, 14; cf. Volkm. l. l. p. 51); similiterque peccatum est in Topicis (25, 93; cf. Volkm. l. l. p. 53). Eosdem enim Cicero in deliberationibus et laudationibus status quos in genere iudiciali exsistere adfirmat. Abest autem plane hoc vitium Partitionibus. Nam etsi tria genera quaestionum in quibus sitne aliquid necne aut quid sit aut quale sit quaeritur in propositorum praeceptis explicantur (18, 62), tamen de statibus neque hoc loco neque in praeceptis deliberationum et laudationum quicquam dictum est; quo nomine eae constitutiones solae quae sunt generis iudicialis designantur. Ac Ciceronem ita errorem quem diximus mero casu effugisse

---

[13]) Cf. Volkmann. Rhet. Graec. et Rom. ed. 2, pp. 43 sqq., 56 sqq.

credi vix potest. Consulto autem si vitavit, qui potuisset post Partitiones scriptas ad eundem errorem in Topicis reverti? Sed ad status singulos veniamus, de quibus tamen non multa addenda. Quamquam enim translativa quae dicitur constitutione ad statum generalem relata quae quatuor in lib. de inv. constitutiones sunt tribus in Partitionibus et in Topicis continentur neque ex lib. de inv. (1, 11, 14 sqq.) artificiosa tertii status partitio repetitur, reliquis praeceptis nulla iudicii indicatur mutatio.

Post primam accusationis et defensionis conflictionem, quae in arguendo et resistendo consistit, ne causa omnino cadat, aliquid necesse est praeterea ad intentionem accusationis depellendam adferri. Appellatur hoc defensionis adminiculum et in Partitionibus et in lib. de inv. ratio (p. or. 29, 102; de inv. 1, 13, 18); cui opponitur quo nitatur accusatio idque firmamentum vocatur (p. or. 29, 103). Sic Cicero in Partitionibus correxit quod prave antea instituerat. Defensioni enim firmamentum in lib. de inv. attribuerat eoque fulciri voluerat rationem, ut duplex quaedam ratio exsistere videretur defensionis, accusatio nihil quo niteretur habere (de inv. 1, 14, 19). Unde factum est ut in iisdem libris ratione sola causae contineri dicerentur. Similisque est in lib. de or. sententia. Quo enim Antonius causas contineri significat, id idem est quod in lib. de inv. et in Partitionibus ratio nominatur (cf. de or. 2, 30, 132). Nec firmamenta defensionis quae in Topicis continentia vocantur quicquam aliud ducenda sunt nisi eadem ratio eiusque firmamentum quale in lib. de inv. definitur (cf. top. 25, 95). Sed perspicuum est non posse in genere iudiciali causam esse nisi quid utrimque et recusationis firmandae et criminis stabiliendi causa proferatur. Quam sententiam, motus fortasse iis quae scripserat Cornificius (ad Her. 1, 16, 26), Cicero in Partitionibus pristino sublato errore accurate expromit firmamentumque a parte accusa-

tionis collocat. Quin etiam, quamquam et defensionis rationibus et accusationis causas contineri ostendit, nominibus ponendis prorsus in contrariam partem atque in lib. de inv. et in lib. de or. et in Topicis discedit eaque quibus accusator potius quam quibus defensor nitatur continentia causae appellat. Sed iam de quaestione videndum est quae ex conflictione rationis et firmamenti gignitur et a Graecis *κρινόμενον,* a Cicerone in Partitionibus (30, 104) disceptatio, in lib. de or. (2, 30, 132) quod in iudicium venit, in Topicis (25, 95) qua de re agitur vocatur. Quae cum angustior sit illa quaestione quae ex prima adfirmationis et negationis contentione exoritur (cf. p. or. l. l.) potissimumque quaestio in lib. de inv. (1, 13, 18; 2, 21, 62) appellatur, non recte eam Cicero in Topicis ex ipso statu effici ait eoque minus quod ex una conflictionis parte, quam esse in Topicis notionem status supra docuimus, parum accurate dixeris exsistere controversiam. Nondum igitur Cicero novum illud quod in status rationem induxerat tam diligenter expendisse videtur quin in disceptationum praeceptis magis veterem suam sententiam de notione status sequeretur. Quod quidem tantum abest ut in Partitionibus scribendis ei acciderit ut quae in hoc libello de statibus et disceptationibus exponuntur omnia inter se consentiant. Definitione disceptationis absoluta repetit Cicero quae in lib. de inv. et in lib. de or. persecutus erat, eandem esse in coniectura disceptationem et primam quaestionem (cf. p. or. 30, 104; de inv. 1, 14, 19) et posse huius modi controversias ad quaestionem universam revocari (p. or. 30, 106; de or. 2, 31, 134; cf. or. 36, 126) eiusdemque Opimii et Norbani et Decii causis rem inlustrat (cf. lib. de or. 2, 30, 132 sqq.; 2, 25, 106 sqq. cet.). Sunt etiam in numero disceptationum controversiae scripti (31, 107 sqq.), quae in Partitionibus cum neque in coniecturam neque in definitionem incurrere dicantur, intellegendum est eas in

illas causas cadere quae a statu generali proficiscantur. Nec secus Cicero antea censuerat. Distinguit enim in lib. de inv. scripti controversias ab ipsis constitutionibus (1, 13, 17; 2, 39, 115 extr.) easque in lib. de or. (2, 26, 110 sqq.) in illo genere in quo quale quid sit ambigatur tractari demonstrat. Sed velim maxime attendatur quo pacto hanc rem in Topicis inducat (25, 95). Dicit enim praeter eos status de quibus disputavimus alios quasi status novos in controversiis disceptandis exsistere eosque appellari iubet legitimas disceptationes. At in Partitionibus disceptationes accuratissime et definit et ut controversias a statibus quos quaestionum loco non habet discernit. Neque haec duo probabile est eum postea confundere potuisse. Sunt autem controversiarum quae in scripto versantur eadem in Partitionibus et in Topicis genera. Nasci enim dicuntur ex ambiguitate scripti aut ex contentione scripti et sententiae aut ex contrariorum scriptorum conflictione (p. or. 31, 108; top. 25, 96). Sublatum igitur videmus ex quinque generibus quae sunt in lib. de inv. exposita (1, 13, 17) genus definitivum quod definitione et genus ratiocinativum quod contentione scripti et sententiae continetur, nec tamen ut in lib. de or. multitudinem partium ita evitatam ut in contraria curratur omnesque huius modi controversiae in uno genere ambiguo ponantur (2, 26, 110 sqq.). Sed ad extremam praeceptionis particulam properandum.

Haec igitur, ut monstravimus, in expositione vertitur locorum qui in genere iudiciali certarum causarum proprii sunt (31, 109 sqq.); quos cum Cicero nisi in lib. de inv. et in Partitionibus non explicaverit, quaerendum in hac parte comparationis potissimum erit quae praecepta ex lib. de inv. petita in Partitionibus retineantur aut ab eorum librorum praeceptis qua ratione discedatur. Coniecturae igitur prima partitione Cicero membra separat accusationis et defensionis (32, 110; 35, 119)

eademque distinguit in lib. de inv., paulo aliter autem rem universam distribuit. Locos enim coniecturae in causam, personam, factum, causamque in impulsionem et ratiocinationem dividit (2, 5, 17 sqq.), causae vero partes ita exponit ut primum accusationem (§ 19), deinde defensionem (§ 25) tractet. Et in persona, expositis prius iis rebus quae personis sunt attributae, eadem atque in causa distinctione accusationis et defensionis utitur. Sed si de ipsa causa tractanda (cf. p. or. 36, 123 in.) potius quam universe de locis coniecturae (cf. p. or. 10, 34 sqq.) quaeritur, prava illa ratio est qua uni alicui loco qui in accusationem et defensionem cadit accusatio et defensio ut partes subiciuntur. Primum igitur loci exponuntur accusationis et insiti qui dicuntur (32, 110 sqq.) et adsumpti (34, 117 sqq.); quae duo genera etiam in lib. de inv. respiciuntur (cf. 2, 14, 46). Qui autem in priore genere tres in lib. de inv. loci sunt, causa, persona, factum, eos Cicero in Partitionibus duo facit, causam et eventum. Quibus enim rebus demonstrari solet personas procliviores ad factum fuisse, eas in causis facti ponit. Iam in causarum praeceptis ad coniecturam accommodat quae modo in suasionibus tractandis de causis, de utilitate, deque efficiendi ratione praeceperat. Ita etiam summatim comprehendit quae fere in lib. de inv. in causae expositione de ratiocinatione (2, 6, 20) et in personae praeceptis (2, 9, 28 sqq.) dixerat. Et quae de motu animi sequuntur (p. or. 32, 112) eadem sunt in quibus posita est impulsio (cf. de inv. 2, 5, 19). Neque alter accusationis locus qui eventus vocatur maximeque ex facti vestigiis constat novam quandam suppeditat materiam. Non tam enim de facto ipso in eius loci qui factum appellatur tractatione disseritur quam de iis rebus quae factum sequuntur aut cum eo coniunguntur (cf. de inv. 2, 12, 38), in quibus etiam eventus attingitur

(§ 41). Alia autem quae in facti praeceptis commemorantur, ut opportunitas loci, longinquitas temporis, occasio, facultas, potius ad causam pertinent. Eam igitur Cicero in Partitionibus correctionem adhibuit ut eventus nomen a parte huius loci ad totum locum transferret et nonnulla ut aliena praetermitteret. Adsumpta quae dicuntur quo modo tractanda sint, paulo accuratius et fusius quam in lib. de inv. (2, 14, 46 sqq.) et in lib. de or. (2, 27, 118 sqq.) exponit iterumque ut in praeceptis confirmationis (14, 48 sqq.) praecipue de testibus et quaestionibus disputat, sed ita rem variat ut in confirmationis praeceptis potissimum quae contra testes et quaestiones, hoc loco quae pro testibus et quaestionibus dicenda sint doceat plene, contraria in contrariis dicenda significet. Sed has res quoniam in libris ante scriptis tantummodo breviter attingit, neque in singulis comparatio institui potest et apparet cur addiderit in Partitionibus nonnulla quae in reliquis libris non erat persecutus. Atque etiam in defensionis praeceptis nova quaedam sunt, quae unde sint orta facile perspicietur. Eadem enim ratione atque in reprehensionis praeceptis Cicero omnibus accusationis locis singulorum horum infirmationes eodem ordine opponit primum de causis dicendo, deinde de consequentibus, postremo de locis adsumptis. Neque aliter in lib. de inv. et causa et persona ex defensionis parte tractantur (2, 8, 25; 2, 11, 35); unde etiam singula quae in Partitionibus de infirmatione causarum (§ 119) praecipiuntur arcessi potuerunt. Terminatur coniecturae tractatio adiunctis in lib. de inv. locis quibusdam communibus (2, 16, 51), in Partitionibus praeceptis nonnullis de singulis orationis partibus in causa coniecturali conformandis (35, 121 sqq.). Neque enim poterat in hac parte Cicero rationem librorum de inventione retinere, in quibus quod ita in fine novum adiungitur, id positum est

totum in amplificatione. Amplificatio autem ubique in Partitionibus a locis communibus secernitur. Nec vero haec in iis de quibus agimus neglegitur aliaque non minus utilia accedunt.

Et in definitione nonnulla apertas ob causas mutata sunt. Cum enim eadem fere in lib. de inv. et de accusatione et de defensione dicta sint, aptius in Partitionibus communia traduntur utriusque partis praecepta (36, 123 sqq.). Deinde, si exemplum huius generis (§ 124 sqq.) praetermittimus, quatuor possumus tractationis partes in Partitionibus distinguere, definitionem, confirmationem definitionis (§§ 123, 126 ext.), locos communes accusatoris et defensoris, amplificationem (§§ 127, 128); in lib. de inv. quinque partes, definitionem, confirmationem definitionis, adiunctionem aut separationem facti cum locis communibus, infirmationem definitionis adversariorum, locos communes (2, 17, 53 sqq.). Neque necessario quae in Partitionibus omittuntur, adiunctio aut separatio facti et infirmatio eius qua adversarii utuntur definitione, a reliquis partibus segregantur sed recte subiciuntur ipsi definitioni et definitionis confirmationi. Communes autem quales in lib. de inv. definiuntur loci in duas partes in Partitionibus tribuuntur amplificatione seiuncta separatimque tractata, cuius rei, quam et antea tetigimus (pp. 20, 42, 71), hoc loco dilucidum est exemplum (§§ 127, 128; cf. §§ 115, 116). Praecipit vero in utroque opere Cicero ut definitio ad communem sensum opinionemque hominum referatur et in definitione confirmanda res similes inducantur (p. or. §§ 123, 126; de inv. 2, 17, 53 sqq.) et in locis communibus de verbi interpretatione aut depravatione agatur (p. or. 36, 127; de inv. 2, 18, 55 sqq.). Paulo autem plenius in Partitionibus significat quibus praeterea locis in definiendo utendum sit, altera ex parte contrariis, consequentibus, nomine, altera ex parte locis aequitatis, auc-

toritate rerum iudicatarum, fine aliquo periculi (36, 126); similiterque communium quos adumbrat locorum comites et ministros adiungit locos quosdam inveniendi (36, 127).

Superest illud genus causarum in quo quale quid sit quaeritur, cuius tractandi duplex praescribitur in Partitionibus modus, si quid iure factum esse defendatur et, cum non iure factum esse concedatur, si venia petatur ignoscendi (37, 129 sqq.; 131 med.). Et duae sunt huius generis etiam in lib. de inv. partes, negotialis et iuridicialis (2, 21, 62 sqq.); ex quibus rursus iuridicialis bipertito dividitur, ut sit aut absoluta aut adsumptiva (2, 23, 69 sqq.). Adsumptiva autem partes habet comparationem, relationem criminis, remotionem criminis, concessionem, quae in purgationem et deprecationem tribuitur (2, 24, 71 sqq.). In qua partitione quae sunt duae partes primae, negotialis et iuridicialis, si ita tantum inter se differunt ut altera implicite et abscondite, altera patentius et expeditius quaestionem recti et non recti contineat (cf. 2, 23, 69), ubi tandem confinium? Haec igitur in Partitionibus servata non sunt sed duarum quae sunt discriptae partium altera et negotialem et iuridicialem partem praeter concessionem, altera eam partem concessionis amplectitur quae purgatio vocatur deprecatione, quae etiam in lib. de inv. probari in genere iudiciali vix posse dicitur, omnino relicta. In primis vero de iure distribuendo disseritur, cuius primae partes et in Partitionibus et in Topicis duae sunt, natura et lex sive institutum (p. or. 37, 129; top. 23, 90), tres autem in lib. de inv. consuetudine pari ratione cum natura et lege coniuncta (2, 22, 65 sqq.). Sed tamen Partitiones et Topica, magis inter se quam cum lib. de inv. consentientia, non leviter in duobus illis generibus partiendis discrepant. Aequitas enim idem est in Topicis quod ius iusque divinum, quod in Partitionibus ex aequo copulatur

cum iure humano sive aequitate, praeteritur; desiderenturque etiam in partibus legis sive instituti graves illae distinctiones scriptorum et non scriptorum, generis publici et privati; ex quo apparet iuris distributionem multo esse in Partitionibus quam in Topicis politiorem. Denique controversiae scripti (cf. 38, 132 sqq.), quae in idem hoc genus cadunt in quo quale quid sit quaeritur, perpaucis possunt absolvi. Ita enim maxime Partitiones a libris de inventione abeunt ut multis careant minus necessariis et locos generis primi et secundi, quae sunt ambiguitas scripti et contentio scripti et sententiae, etiam ad contraria scripta transferendos indicent (39, 137); ceterum nova admodum non ferunt (cf. p. or. 38, 134, 135 et de inv. 2 §§ 125, 128—131; p. or. 38, 135 extr. et de inv. 2, 45, 134; p. or. 39, 136 et de inv. 2 §§ 139—141).

Perfecta praeceptorum est comparatio, ex qua quae effici videantur brevi complectamur. Potest igitur in iudiciis Ciceronis de ratione dicendi progressio quaedam agnosci. Et de multis quidem rebus sententia eius quo modo paulatim mutata sit videmus, ut de partitione orationis (p. 29), de virtutibus narrationis (p. 32 sqq.), de appellatione perorationis (p. 41), de notione et usu propositi (p. 44 sqq.), de laudationum utilitate (p. 49 sqq.), de fine suasionum (p. 58), de utriusque locorum generis praeceptione (p. 63), de controversiarum quae in scripto versantur generibus (p. 68). Partitiones praeterea cum libris de inventione et libris de oratore et Bruto et Oratore contendentes saepissime progressionem cernimus, ut in iis quae praecipiuntur de prima rhetoricae partitione (p. 13 sqq.), de docendi et movendi generibus (p. 18), de locis inveniendi (p. 20), de collocatione (p. 20 sqq.), de partitione simplicium (p. 22 sqq.), de virtutibus principii (p. 29 sqq.), de veri similium partitione (p. 33 sqq.), de definiendi ratione (p. 36 sqq.), de argu-

mentatione et locis adsumptis (p. 38 sqq.), de partibus perorationis (p. 41 sqq.), de aliis rebus compluribus in primisque partitionibus. Haec omnia dubitare non licet quin emendandi et corrigendi studium declarent. Quo studio spectato facile ex comparatis Partitionum et Topicorum praeceptis iudicari potest de temporis ratione inter hos libellos intercedente. Primum enim Partitiones identidem et differunt a Topicis congruentibus cum uno aut pluribus ante scriptis libris et eaedem illis libris accuratiores sunt, quod iis ostendimus quae disputata sunt de prima rhetoricae partitione (p. 14 sqq.), de locis inveniendi (p. 19 sqq.), de virtutibus principii (p. 29), de suavitate narrationis (p. 32), de definiendi ratione (p. 37), de notione amplificationis (p. 42), de coniecturae tractandae ratione (p. 47), de partitione eius generis in quo quale quid sit quaeritur (p. 48), de comparandi ratione quae in eodem genere adhibenda sit (ibid.), de motu animi (p. 49), de causis conficientibus (p. 62), de generibus causarum in quae status incidant (p. 65), de continentibus causae (p. 66 sqq.), de firmamento (ibid.). Deinde non pauca, quae a Cicerone non exponuntur nisi in Partitionibus et in Topicis, minus in hoc sunt quam in illo libello accurata et expolita, ut partitio testimoniorum (p. 19), ut loci ad definiendi rationem accommodati (p. 37), ut ea quibus qui fiat ut propositum pars sit causae explicatur (p. 45 sqq.), ut praecepta quibus inter disceptationem et statum quae ratio intercedat significatur (p. 67), ut iuris distributio (p. 72 sqq.). Et quem modum duo quae commemoravimus genera indiciorum, sic etiam illa vestigia, quae in diversis posita sunt modis quibus in Topicis et Partitionibus propositi et status nomina inducuntur (cf. pp. 46, 64), postulant ut Topicis medium aliquem locum inter Partitiones et reliquos libros adsignemus. An contra dicet aliquis, Ciceronem Topica scribentem libros secum non habuisse neque quae antea

in Partitionibus exposuisset memoria tenuisse? Eo si complura spectarent neque alio modo explicari possent, tantam Ciceroni memoriae infirmitatem adscribere fortasse liceret. Nunc ultro putare non licet tam multa ei tamque diligenter elaborata excidisse. Neque neglegenter Topica conscripta sunt ut ad unum Trebatium. Voluit enim Cicero libellum in aliorum manus venire iisque quam plurimum prodesse (cf. top. 19, 72). Sed haec quae modo collegimus indicia aliis firmantur et cumulantur quae Partitiones cum libris Ciceronis philosophicis collatae suppeditant. Eadem est enim universa virtutum distributio in libris de officiis quae in libris de inventione et in libris de finibus, in Partitionibus autem alia atque in illis libris multoque subtilior et politior. Sunt etiam singula praeterea huius loci praecepta accuratiora in Partitionibus quam in libris de officiis, ut de numerorum ratione quae inter virtutes et initia virtutum intercedat (p. 51 sqq.), de divisione prudentiae (p. 53), de magnitudine animi partienda (p. 53 sqq.) deque liberalitate (p. 56 sqq.) et verecundia (p. 58); quae omnia, ut etiam ea quae ad distinctionem bonorum necessariorum et non necessariorum et ad contentionem honestatis et utilitatis pertinent, credere vetant Partitiones scriptas esse ante libros de officiis qui sunt ipsi post Topica perfecti.

Longe autem aliud Pideritius sibi adsequi videbatur partibus quibusdam Partitionum et Oratoris inter se conferendis, ex qua comparatione argumenta elicere studuit quibus quod statuerat stabiliret, hos duo libros uno eodemque tempore esse conscriptos[14]). Similia enim in iis esse vidit complura. Sed quid id ad rem? et alia multa non minus similia in Partitionibus et in libris de inventione, in Partitionibus et in libris de oratore,

---

[14]) Cf. Pid. ed. Part. Or. supra l., prolegg. § 9.

in Partitionibus et in Topicis inveniuntur. Immo non tam similibus in hac causa praeceptis quam dissimilibus temporis rationem declarari necesse est. Et tamen ut exemplis quibusdam indicetur quali ratiocinandi genere ille vir doctus usus sit, comparationem eius paulo propius inspiciamus. Laudat igitur Cicero in utroque libro Academiam quamque utilis sit oratori ostendit (p. or. 40, 139; or. 3, 12; 4, 16; 33, 118; cf. Pid. l. l. § 9 adn. 44). Quid? haec tantummodo uno aliquo tempore Ciceronis fuit sententia? At simili modo philosophiam Academicam laudibus effert in libro de fato (2, 3), qui eodem anno scriptus est quo Topica. Deinde similia quaedam in Partitionibus (23, 79) et in Oratore (32, 113 sqq.) de eloquentia et dialectica dicuntur (cf. Pid. ibid.): potes paene eadem in aliis Ciceronis libris partim ante Oratorem, partem post eum librum scriptis legere (Brut. 31, 120; de fin. 2, 6, 17; de off. 1, 1, 3 sqq.). Conferuntur etiam quae in Oratore et in Partitionibus de luminibus verborum et ornamentis sententiarum disputantur (cf. Pid. ibid.). Sed, ut ex iis quae supra persecuti sumus apparet, multo magis in hac parte cum libris de oratore Orator quam cum Partitionibus consentit. Ea autem quae de moribus oratoris exprimendis praecipiuntur (p. or. 6, 22) similiora sunt eorum quae in libris de oratore (2, 43, 183 sqq.) quam quae in Oratore leguntur (or. 37, 128; cf. Pid. ibid.). Nec solum in Partitionibus et in Oratore (cf. Pid. ibid. adn. 46) sed etiam in libris de oratore significatur, maxime in peroratione esse amplificatione, qualis in Partitionibus definitur, utendum (de or. 2, 81, 332; cf. et. p. or. 8, 27 cum lib. de or. 2, 77, 311 sqq.). Genus vero laudativum, quali utebantur Graeci, tam in libris de oratore (2, 84, 341) dicitur quam in Oratore (11, 37; cf. Pid. ibid. adn. 47) delectandi causa adhiberi. Neque ea praecepta quae in Partitionibus (30, 106) de genere infinito dantur longius ab iis

quae in libris de oratore (2, 31, 133 sqq., 138 sqq.) quam ab iis quae in Oratore (14, 45; cf. Pid. ibid. adn. 49) ponuntur discedunt. Quod idem dici potest de argumentis expendendis (cf. p. or. 3, 8; or. 15, 47; Pid. ibid. adn. 50; cf. et. de or. 2, 76, 309). Sed quid plura de eius modi comparatione quae nihil ad quaestionem institutam attineat?

Alia etiam praeter temporis rationem comparando quaerebamus: et iam certo scimus Ciceronem Partitionibus scribendis in primis una in parte artis oratoriae elaborare voluisse. Id quidem facile ex divisionibus partitionibusque perspici potest. Compluribus enim Cicero in hoc libello utitur in iis quae antea partitus non erat partiturque saepe aliter atque in reliquis libris et, quod ex eodem partiendi studio nascitur, diligentius eo quo distributio accurata postulat reliqua praecepta refert. Optimae etiam omnium eae divisiones sunt quae in Partitionibus Oratoriis exponuntur. Quae omnia tanta exemplorum multitudine inlustravimus ut ea hoc loco non iteremus. Haec si tenebimus simulque illud respiciemus, libellum ipsum non artem rhetoricam nec praecepta oratoria sed Partitiones Oratorias inscribi, intellegemus Ciceronem, quem ad modum in Topicis unam omnino partem totius artis rhetoricae explicare instituit, sic in Partitionibus una potissimum in re, quae inscriptione libelli indicatur, operam et curam collocasse.

Atque illud consilium compertum viam de fontibus iudicandi patefacit. Novis enim exceptis partitionibus iisque praeceptis quae necesse aut facile erat cum illis partitionibus inferre, reliqua fere omnia, ut comparando exposuimus, Cicero ipse aliis ante scriptis libris complexus erat. Quod igitur in Partitionibus novi attulit, id situm in ea ipsa re videmus in qua praecipue eum studium operamque posuisse modo ostendimus. Eandem autem quae in hoc libello tam diligenter secutus est

tractandi rationem ipse in libris de oratore ineundam in iure civili ad artem redigendo docuerat (1, 42, 188, 190), ut scilicet primum in genera res digereretur deinde generum dispertirentur membra, tum propria cuiusque vis definitione declararetur. Et de singulis partitionibus plurimae ita sunt comparatae ut eas difficile sit scribenti ipsi non attribuere, ut primam totius doctrinae partitionem (cf. p. 16), ut duplicem pro triplici distributionem eorum quae ad fidem faciendam pertinent (p. 18), ut distributionem testimoniorum (p. 19) et collocationis (p. 21), ut primam divisionem elocutionis (p. 22), ut simplicium distributionem (p. 22 sqq.), ut virtutum quas principium (p. 29 sqq.) et quas narratio (p. 31 sqq.) habere debeat distributionem, ut partitionem veri similium (p. 33 sqq.) et reprehensionis (p. 37 sqq.) et virtutum (p. 50 sqq.) aliasque quas explicavimus plures; in quibus omnibus perspicuum est Cicero accurate partiendi studio adductus et cur a pristinis suis partitionibus discedere debuerit et quibus viis ad eas quas novas induxit ipse sine duce potuerit pervenire. Vestigia autem quae in iis quae primum in Partitionibus profert indagare possumus alienae doctrinae non ad unum sed ad plures, ad Aristotelem, Theophrastum, Athenaeum, Cornificium, spectant (cf. pp. 27, 41, 45, 59, 66). Neque ea omnia in quibus talia impressa vestigia sunt sine mutatione et correctione ab illis scriptoribus accepta tradidit sed supplendo aliterve conformando sua ex alienis fecit. Et fieri potest ut simili modo etiam ab aliis pauca sit mutuatus. Universum autem libellum nihil est causae quod, ut quidam[15]), putemus Ciceronem ex uno aliquo fonte duxisse. Neque illud significavit cum diceret (p. or. 40, 139) omnes oratorias partitiones ex Academia effloruisse. Quod qui-

---

[15]) Cf. C. Wallies, de fontibus Topicorum Ciceronis, Hal. a. 1878, pp. 21, 41, 48.

dem ipse quo modo intellegi vellet monstravit addens sine ea philosophia neque inveniri partitiones neque tractari neque intellegi posse sed et partiri ipsum et definire et ambigui partitiones dividere aliaque id genus illius exercitationis et subtiliter disputandi et copiose dicendi artis esse propria. Haec omnia in illo genere philosophandi versabantur penitus; e media ergo Academia eas, quas exposuerat, partitiones effloruisse ait; quod perspicuum est non de uno aliquo scriptore scriptoribusve quibusdam certis sed de genere dici philosophiae. Neque enim re vera omnes oratoriae partitiones ab uno homine unave aetate inventae et explicatae sed longo temporis spatio variis ingeniis paulatim excogitatae et perpolitae sunt. Non igitur recte iudicant qui hoc loco veterem solam Academiam[16]), in qua etiam Peripateticos Cicero numerabat (cf. de fin. 5, 3, 7), aut qui unam Academiam recentiorem[17]) intellegunt. Nec vero verbis de quibus agitur partitiones quae erant expositae magis Aristoteli aut Theophrasto aliisve quam ipsi Ciceroni, qui in primis Academicam philosophiam probabat et colebat, attribuuntur. Sed de tempore, consilio, fontibus quae ex comparatione praeceptorum sequi viderentur, sat multis, ut arbitramur, docuimus.

Et quoniam Partitiones ipsas artisque praecepta perscrutati sumus, possumus nunc etiam quae extra hos fines sunt circumspicere; in quibus si nihil reperiri poterit quo quae iam adsecuti sumus infirmentur, satis huic causae quam agimus factum esse debebit cumulateque erit satisfactum, si quae antea statueramus ex hac quoque parte videbimus comprobata. Quod etsi alicui forsitan initio desperandum videatur reputanti neque Ciceronem de Partitionibus Oratoriis usquam in reliquis li-

---

[16]) Cf. Pid. ed. ad loc. et C. Hammer. in commentatione de Ciceronis Topicis, ed. Landavi a. 1879, p. 24.

[17]) Cf. Wallies l. l., p. 48.

bris mentionem fecisse neque alios scriptores antiquos quicquam de iis quae quaerimus testificatos esse, tamen, ne forte quod utile ad hanc disputationem sit relinquamus aut in suspicionem veniamus incommoda quaedam fugisse, quaerendum arbitramur, et vita Ciceronis et patris et filii quando eius modi fuerit ut in eam omnino donatio Partitionum cadere potuerit et eius animi, quo animo in Marcum fuisse putavimus patrem hunc libellum scribentem, quot quaeque sint alibi vestigia.

Cum igitur provinciam Ciceroni aliquam administrare coacto Cilicia obvenit (cf. ad Att. 5, 15 cet.), Marcus annum decimum quartum agebat (cf. ad Att. 1, 2, 1,), ut propter aetatem eius puerilem Partitiones usque ad hoc tempus scribi non potuisse iure inter doctos conveniat. Rebus autem gerendis Cicero impediebatur quo minus in Cilicia animum in opera id genus intenderet. Nec quicquam traditur quod testimonio esse possit eum proximis post provinciam administratam annis operam in libris scribendis posuisse. Quod si fecisset, mirum esset epistulas eius omni huius rei indicio carere, cum ne de exercitationibus quidem Graecis et Latinis quibus hoc tempore utebatur Atticum litteris non fecerit certiorem (cf. ad Att. 9, 4, 3). Ac planius significare quam in Bruto vix poterat se adhuc nihil post libros de re publica edidisse (cf. Brut. 5, 19). Non erat autem quod Partitiones ut libros de legibus, si scriptae fuissent, non divulgaret. Ita ad annum venimus quo in medium prolatus est Brutus, quo anno (a. u. 708) Drumannus Partitiones quoque scriptas esse putabat, quia hoc tempore multa Cicero de arte rhetorica litteris mandavit, postea se ad philosophiam tractandam convertit (cf. Drum. Hist. Rom. vol. VI, p. 293). Videre autem debebat Ciceronem, compluribus de philosophia perfectis libris, rursus Topicis scribendis ad dicendi praecepta revocatum esse et Topica ipsa multo esse Partitionum similiora quam

aut Brutum aut Oratorem. Exquisitioribus vero argumentis nec tamen stabilioribus usus est Pideritius (cf. ed. prolegg. § 7). Quod enim Hirtius et Dolabella declamitabant apud Ciceronem isque in litteris quibusdam dixit se ludum quasi habere coepisse (cf. ad fam. 9, 16, 7; 9, 18), nihil est profecto quod credamus ad eius modi exercitationes opus ei fuisse libro quod genus sunt Partitiones easque eam ob causam esse conscriptas. Neque cognitum habemus Ciceroni iam in animo fuisse filium Athenas mittere; ad Caesarem mittendus esset necne deliberatum erat (cf. erat. Att. 11, 17, 1; ad fam. 14, 11); de studiis eius Athenisque, quidquid Cicero cogitabat, nihil in litteris hoc tempore datis scriptum videmus. Et sint Partitiones eius modi ut iis legendis et ediscendis Marcus paratior fieri potuerit ad Cratippum audiendum: non minus idoneae fuerunt quae postea ad eum in studiis versantem mitterentur. Absunt porro huius anni epistulis omnia quae indicare possint patri filium iam suspicionem parum honeste vivendi et diligenter discendi dedisse.

Huic proximo anno (a. u. 709) Marcus tum Romae domum cogitabat conducere, — novam enim Cicero uxorem duxerat et mortua erat Tullia, — tum ad Caesarem in Hispaniam ire volebat (cf. ad Att. 12, 32, 2; 12, 7). Sed iam mense Martio constitutum erat ut transiret Athenas, quo exeunte fere hoc mense profectus est (cf. ad Att. 12, 8; 12, 24; 15, 15, 4). Pecuniam autem ut suppeditaret mandatum erat Attico, quicum Cicero de hac re saepe litteris communicabat (cf. ad Att. 12, 24; 12, 27; 12, 32). Et quamquam paulo post de Marco nuntii Romam adferri coepti sunt qui minime placerent (cf. ad Att. 13, 1; 13, 30; Drum. Hist. Rom. vol. VI, p. 714), tamen Cicero liberalitate in eum primo certe anno peregrinationis utendum esse censebat (cf. ad Att. 13, 47 a). De studiis Marci nullam in epistulis huius tem-

poris mentionem facit. Non igitur ab eo magnam statim diligentiam exspectandam existimabat. Ipse vero totus erat philosophiae deditus (cf. ad Att. 12, 14; 12, 15; 12, 20, 1; 12, 40, 2; 13, 26, 2; ad fam. 9, 8) scripsitque Consolationem, Hortensium, Academicas quaestiones, libros de finibus; quae omnia genus quoddam cogitandi et investigandi diversum ab eo, quod Partitiones, declarant.

Sed iam perlustrandus est annus qui fuit ab urbe condita septingentesimus decimus. Pergebat igitur Cicero litteras mittere ad Atticum de sumptibus Marci deque pecunia suppeditanda (cf. ad Att. 14, 7. 11. 17. 20; 15, 15. 17. 20; 16, 1). Nec de vita moribusque adulescentis graves adferri rumores desierant (cf. ad Att. 14, 16, 3; 14, 18, 4; 15, 16a). Sed tamen unum erat quo valde Cicero delectari posset. Arbitrabatur enim litteras filii factam in studiis progressionem auctamque doctrinam redolere (cf. ad Att. 14, 7; 15, 16a; 15, 17). Scribebant etiam alii de Marco aut ab eo venientes nuntiabant quae Ciceroni grata essent (cf. ad Att. 15, 16a), ut Tribonius (cf. ad fam. 12, 16) et Messala (cf. ad Att. 15, 17) et Ovius (cf. ad Att. 16, 1, 5). Sed consilium iam mense Aprili ceperat mense Iulio in Graeciam proficisci, ut ipse discenti interveniret (cf. ad Att. 14, 7, 2). Nec primum hoc proposito quicquam aliud agebat nisi ut filio prodesset (cf. ad Att. 14, 13, 4), cuius maxime etiam proficiscens memor significavit in litteris quas scripsit ad Atticum, etsi molestum esset eo tempore Italiam relinquere, tamen consolationis se aliquid in eo videre quod aut profuturus esset Marco aut quid profici posset iudicaturus (cf. ad Att. 16, 3, 4 sqq.). Eiusdemque Marci studia respiciens et mores initium iam fecerat de officiis ad eum scribendi (cf. de off. 1, 1, 1 sqq.; ad Att. 15, 13, 6; 16, 11, 4; Heinii et Muelleri prolegg. edd. lib. de off. supra ll.). Quod

opus, cum consilio mutato ex itinere suscepto, in quo Topica conscripserat, Romam revertisset et rursus urbe relicta rus venisset, perficere adgressus est et mense Octobri in manibus habebat (cf. ad Att. 16, 11, 4; de off. 3, 33, 121). Hoc igitur tempore omni ex parte eo cuius indicia in Partitionibus sunt animo in filium erat. Iis enim quae de moribus Marci acceperat commotus primum praesens eum confirmare instituit, impeditus autem quo minus ipse Athenas veniret libris mittendis absens de officiis hortatus est (cf. praeter ll. ll. de off. 3, 2, 5 sqq.; 3, 33, 121). Nec solum sapientiae eum praeceptis abundare volebat signisque amplificatae doctrinae gaudebat sed etiam pro sua parte ipse eum ad studia cum philosophica tum rhetorica et quidem in utroque genere Latina excitare suisque libris aliquid ei adiumenti in his studiis adferre conabatur (cf. de off. 1, 1, 1 sqq). Topicis autem scribendis modo ad id genus redierat in quo versantur Partitiones, quae ex mente scriptoris, ut supra vidimus, eo nunc aptiores erant Marco quod aliquamdiu philosophiae operam dederat.

Alia quaedam paululum ab his quae exposuimus diversa, idem tamen sonantia libri habent de officiis; quorum initio quod dicit de proposito suo Cicero, aliquid se ad Marcum eo tempore, multa postea scribere statuisse, ordiri autem ab officii praeceptis maxime voluisse, id ratio simplicissima sic interpretari iubet ut illis ipsis libris initium ad Marcum scribendi factum esse intellegatur. De hac autem re quidquid iudicatur, illud certissimum est, Ciceronem eo tempore in animo habuisse ad filium post libros de officiis etiam alios mittere.

Denique cur in libro quem scripsit anno ab urbe condita septingentesimo decimo Cicero in numerum librorum suorum oratoriorum Partitiones Oratorias non

retulerit (cf. de div. 2, 1, 4), si vulgatam opinionem de tempore scribendi sequaris, non facile dispicias. Non enim veri simile est eum in hac enumeratione Partitiones tanta cum cura elaboratas, si iam edidisset, aeque ac libros de inventione a se ipso improbatos praetermissurum fuisse.

Restant loca Quintiliana, quibus Pideritius sententiam suam tuebatur, Partitiones anno urbis conditae septingentesimo octavo esse conscriptas. Quintilianus igitur allato praecepto quodam ex Rhetoricis Ciceronis eoque damnato laudat quod et in Partitionibus Oratoriis et in Oratore praecipitur certioremque sententiam Ciceronis in his libris esse ait, quippe qui postea scripti sint (cf. Quint. 3, 3, 6 sqq.; Pid. ed prolegg. § 8). Sed haec qui possunt testimonio esse Quintilianum utrumque opus fructum unius eiusdemque anni putavisse? Aut qua ratione idem inde efficitur quod nonnullis locis plus tribuere auctoritatis Partitionibus quam aliis Ciceronis libris videtur (cf. Quint. 3, 11, 10; 3, 11, 18 cet.; Pid. l. l.)? Nam ne Topica quidem, ut etiam sentiebat Pideritius, excipienda sed in numero librorum quibus Partitiones hoc modo a Quintiliano anteponuntur habenda sunt (cf. Quint. 3, 11, 18). Id autem opus probabile est Quintilianum novissimum duxisse in quo accuratissime praeciperetur.

Quod igitur initio Partitionum et fine interpretando adumbrari aliqua ex parte poterat praeceptisque dicendi ipsis plurium librorum inter se collatis demonstratum videbatur, id reliqua indicia omnia confirmant nec dubitationi locum relinquunt quin libros de officiis Partitiones Oratoriae ordine temporum sint secutae[18]). Quod si recte statuitur, brevi quidem intervallo alterum altero munere

[18]) Quem librum Cicero mense Nov. a. u. c. 710 ad Atticum scripserit (cf. ad Att. 16, 11, 3) se perpoliturum et missurum, in medio relinquendum.

cumulatum est. Ineunte enim mense Novembri Cicero nondum tertium de officiis librum perfecerat (cf. ad. Att. 16, 11, 4), Romam autem rediit a. d. V. Idus. Dec. (cf. ad fam. 11, 5) atque inde ab hoc tempore usque ad mortem rursus omnes videtur curas cogitationesque in rem publicam contulisse.

Libellum ergo de partitionibus oratoriis Cicero extremo fere anno ab urbe condita septingentesimo decimo conscripsit eo consilio, ut filium Athenis peregrinantem in studiis philosophicis et rhetoricis adiuvaret et ad utrumque genus diligentius colendum incitaret. Cum autem simul praecipuam in distribuendo partiendoque collocans operam neque ad novos accedens fontes sed maximam partem ex suis ipsius libris eorumve memoria hauriens omnia quam accuratissime emendatissimeque persecutus sit, quotienscumque sententia eius de aliqua parte doctrinae rhetoricae quae fuerit quaeritur, nec varia eius neglegi iudicia sed si quae apparet progressio considerari et Partitionum praecepta, non, ut fieri solet, praetermitti, sed ut omnium extrema et cogitatissima spectari maxime oportet.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Ex Euthyphrone Platonis eruere velle quam scriptor veram putarit *τοῦ ὁσίου* definitionem perverse interpretantis est.

II. In Demosthenis Leptinea § 15 verba quae sunt *καὶ τῇ βεβαιότητι* spuria esse censeo.

III. De aetate Demosthenis quae in Midiana (§ 154) scripta sunt cum iis quae ex primis eius orationibus colliguntur non necessario discrepare putantur.

IV. Quod Cicero in Bruto (4, 15) dicit Attico, admonitum se Annali eius esse ut ab eo aliquid ad se reficiendum eumque remunerandum sumeret, id iniuria negatur ad hunc ipsum librum Ciceronis referri.

V. In Ciceronis Partitionibus Oratoriis 2, 6 post appellandi verbum reponendum est a u t pro u t.

VI. Ibidem 11, 39 scribenda sunt: . . . oratio inconstans, tremor, eorum aliquid q u a e sensu percipi p o s s i n t (cf. de inv. 2, 9, 30; 2, 10, 33).

VITA.

Franciscus Ioannes Merchant Alberti F., matre Candace e gente Downs, natus sum Novi Eboraci a. d. X. Kal. Ian. anno huius saeculi LV. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus, mortuo patre matre duce et custode, in rem publicam Iowensem transmigravi ibique usque ad annum decimum sextum apud magistros publicos erudiebar. Tum infirmitate corporis coactus libros abieci et tres fere annos contrivi in negotiis. Interea autem cupiditate humanitatis amplioris adductus, iuvantibus institutione ministro verbi divini coniugeque eius praestantissima, initium feci Latine et Graece discendi. Uno igitur et vicesimo anno, legitimo sustentato examine, in studiosorum numerum Collegii Shurtleffensis, quod situm est Altonae in re publica Illinoiensi, et post quadriennium consueta Baccalaurei Artium privilegia et honores adeptus in docentium ordinem eiusdem collegii receptus sum. Functusque per quinquennium munere praeceptorio tandem, quod iam diu expetebam, Berolinum transii et m. Octobri a. MDCCCLXXXV impetravi ut civibus Universitatis Fridericae Guilelmae adscriberer. Ac plus iam quatuor annos in studiis philologicis et philosophicis consumpsi viros audiens doctissimos: Bastian, du Bois-Reymond, Curtius, Dessau, Deussen, Diels, Hirschfeld, Hoffory, Hübner, Kirchhoff, Oldenberg, Paulsen, Io. Schmidt, Vahlen, Weber, Weiss, Zeller. Exercitationibus etiam philologicis quinque interfui semestria moderantibus Hübnero et Vahleno. His viris omnibus, in primis Hübnero, Webero, Vahleno optime de me meritis, gratias ago et iustissimas et verissimas. Insignis vero benignitas erga me fuit Hübneri eiusque consilia cum in studiis meis universis tum in rhetoricis, unde dissertatio cui legibus obsecutus academicis hanc vitae descriptionem adnecto profecta est, permultum me adiuverunt.